

An Edition and Study of Selected Sermons of Robert
Grosseteste

Volume II

Suzanne Paul

Submitted in accordance with the requirements for the degree of
Doctor of Philosophy

The University of Leeds, Centre for Medieval Studies,

October 2002

The candidate confirms that the work submitted is her own and that appropriate credit
has been given where reference is made to the work of others.

This copy has been supplied on the understanding that it is copyright material and that
no quotation from the thesis may be published without proper acknowledgement.

Contents of Volume II

Editorial Notes		194
Texts	T1	196
	T2	201
	T3	206
	T20-21	211
	T22	216
	T23	231
	T24	234
	T26	238
	T34	243
	T35	256
	T40	266
	T41	271
	T42	279
	T43	287
	T44-45	299
	T48	307
	T55	323
	T69	328
	T70	340
	T71	355
	T72	367
	T73	372
	T74	382
	T75	387

EDITORIAL NOTES

The twenty-four texts transcribed below consist of all the pieces I have identified as sermons within fols 78-87 and 104-127 of Durham Cathedral Library MS A.III.12, with the exception of the sermon 'Qui manet in caritate' on fols 79va-80ra (T6) which has been edited by Edward B. King.¹

As discussed in Chapter II, all of these pieces are unique with the exception of T1, which appears in almost identical (though incomplete) form on fol. 17vb of MS A.III.12, and T3 and T43 which are variant versions of two of Grosseteste's *Dicta*. In the case of the latter two texts, the variations are considerable enough to warrant separate editing of the different versions and, since the *Dicta* collection as a whole is in the process of being critically edited, I present only the version contained in MS A.III.12. In order to adopt a uniform single manuscript policy for all the texts, T1 is edited from the version on fol. 78ra-rb only.

The texts are thus presented from a single manuscript copy with the minimum of editorial intervention. All abbreviations have been silently expanded. The orthography is that of the manuscript, without any attempt to standardise its inconsistencies. I also follow the manuscript's interchangeable use of both arabic and roman numerals. Citations underlined in the manuscript are underlined in the text. Paragraph marks or clear paragraph breaks recorded within the text are marked [P]. Punctuation, paragraphing and capitalisation have been added according to modern conventions, although manuscript marks have been taken into account. Where a prologue or protheme can be identified, it is set apart from the main sermon text by a line break.

Where possible, all sources have been identified in the *apparatus fontium* at the foot of the page, keyed to the text with superscript numerals. Biblical quotations, even if not exact, have been italicised, while other sources directly quoted have been enclosed in

¹ King, 'MS A.III.12', pp. 284-88.

single quotation marks. Single quotation marks are also used to mark examples of direct speech within the sermons.

The critical apparatus records all manuscript corrections, additions and deletions and corrects obvious scribal errors of spelling or grammar; it is found at the end of each text and keyed to the text by superscript arabic numerals. Editorial deletions are enclosed by square brackets and additions by angled brackets. Emendations have been kept to a minimum; following examples of best practice in the edition of sermon *reportationes*, I have not attempted to recreate the words of the preacher or to render a coherent and readable text but rather to present the evidence of this particular manuscript witness.

T1 Conuertimini ad me in toto corde uestro

fol. 78ra-rb

*Conuertimini ad me in toto corde uestro in ieiunio et fletu et planctu.*¹

[1] Omne enim peccatum reducitur ad aliquod uerborum trium, scilicet uel ad concupiscenciam carnis aut concupiscenciam^a oculorum aut superbiam^b uite.² Quasi diceret, Vos qui fuistis huc usque in carnalibus deliciis, conuertite modo ad me per ieiunium, et qui fuistis in concupiscencia oculorum, conuertimini ad me in fletu, et qui fuistis in superbia uite, conuertimini ad me in planctu.

[2] Planctus proprie est quando quis conuertit ad se cum gemitu et dolore pro aliquo dampno sibi iminente. Vnde concutitur animus et coangustatur in se nec habet a quo possit uindicari nisi a se, capillis euulsis, lacrimis manantibus, digitisque contortis, indiciisque doloris propallatis et hoc uis est quod affligat. Nichil enim equius est quam qui posuit se carnalem supra se spiritalem, sensualem supra racionalem, terrenum supra celestem; quod dimicat contra se et ponat se econtrario sub se. Et ut sic capiat uindictam et merito quia qui fuit tam nobilis, tam pulcher, tam speciosus, qui eciam habuit omnia membra sibi comproporcionata, nec eciam habuit aliquam humorum discrepantiam, deuentus est tam turpis et tam infirmus, quod nullo modo potest denunciari.

[3] Potes ymaginari hoc exemplo. Si aliquis esset nunc sanus et fortis et omnia haberet membra bene disposita et sibi comproporcionata, et statim os eius deueniret rotundum uel oblongum ex transuerso proprii situs, et nasus fixus esset tam longe infra caput quantum extra est, et oculi essent extra situm proprium, et pedes conuersi essent retrorsum, et manus curuate opposito modo extra situm proprium, et totum corpus

¹ Ioel 2:12

² Cf. 1 Ioh 2:16

deueniret tam nigrum et tam horribile quod nullus sineret eum in sua societate. Set si uideres et sentires te tam infirmum et horribilem sicut predictum est, nullus posset abstinere te quin clamares ad medicum; dares eciam totum mundum, si haberes, medico qui sanaret corpus tuum corruptibile. Set maxima miseria et demencia est quod non saluas animam incorruptibilem et perpetuam qui solum gemitu posset eam sanare.

[4] Quanto autem anima precellit corpus, tanto eius pulcritudo pulcrior et nobilior et eius egritudo intolerabilior. Cum itaque anima infirmatur tot et tantis infirmitatibus necessarium et perutile est ad Deum conuerti et ad eum clamare, lacrimari et nunquam sine planctu existere, donec Deus abstergat et cetera.³ Cum os tot et tantis scuriliis uaniloquis falsis testimoniis confabulacionibus uilibus^c friuolisque commaculatur et concutitur nasus odoribus illicitis, oculique prauis concupiscenciis luxuriosis aspectibus extra situm proprium euelluntur, pedesque distorti illicitis discursionibus circa terrena, manusque incuruate ad terrena contra Dei precepta congreganda, nonne mirum est si tam infirmus penitus erumpit in lacrimas et sine modo ploret, si aliquo modo posset sanari? Set ita est cum aliquis fit dilatus a sanitate stupidus in egritudine quod non sentit se, uerberatus non dolet quia uigor et uirtus naturalis penitus amittitur et ita misera anima se amittit.

[5] Quanto enim tenebre et lux distant ad inuicem, uel egritudo et sanitas, uel album et nigrum, uelut contraria uel contradictoria, opposita uel relatiue opposita, tanto corpus et anima, uel superior ratio et sensus differunt carnalis.

[6] Ideo dicit Dominus per Iohalem prophetam: Vos qui tales estis, *conuertimini ad me* et cetera. Conuersio ad Deum est toto nisu uoluntatem suam uoluntati Dei conformare. Set plures sunt qui surgunt mane ad ecclesiam et dant elemosinas et faciunt

³ Cf. Apoc 21:4

plura opera misericordie, set iurant falsum in foro ut lucrarentur^d unum nummum. Talis non est cum Deo cum inter plura precepta odit aliquod unum quod Deus precepit et diligit aliquid contra precepta. Si enim frangit unum, nullum alium est in se firmiter radicatum: diligere ex toto corde est diligere totum.⁴

[7] Quidam enim diligit temporalia et Deus dat ei et in his diligit Deum. Set cum transgreditur aliquod preceptum, dignus est pena. Set Deus expectat et in his diligit Deum quantum expectat. Set cum abutitur temporalibus et gratis sibi collatis, Deus ea aufert. Set in quantum Dominus est uerus ablator temporalium et sciencie quibus non bene utitur et in quantum est districtus inquisitor et propriis penis punitor, in tantum eum non diligit et ita non toto corde diligit, set in parte. Set hoc est iustum iudicium quod qui sic eum diligit. Quod eo sic careat et quomodo eum odit, eo modo eum inueniat, scilicet pecunie ablatorem et districtum punitorem. Set si diligis eum totum, diligis eum in quantum est iustus ablator. Ius est enim ut auferat, in quantum est iustus ablator. Qui eum sic diligit non contristabitur. Vnde iustus non contristabitur, quicquid ei accidat, et sic tribulacio et infirmitas eum declarat.

[8] Amare Deum ex toto corde est amare omne mandatum et odire omne prohibitum. Set mandatum est quod quisque honoret patrem et matrem, scilicet carnalem et spiritalem. Hoc est quod subueniat ei in omnibus; nisi subueniatur, afflictor pessimus // fol. 78rb // est patris. Vnde si uideris pauperem fame morientem et non pauisti, odisti. Nonne pessimus est afflictor patris proprii? Nonne amens esset qui uideret probrosam maculam in se et non niteretur abstergere? Macula enim non est membri, set totius corporis. Omnes enim sumus unum corpus et quilibet nostrum uicem membri debet supplere. Quodlibet membrum carnale sollicitatur pro salute alterius membri, ita deberet membrum spirituale; abscindenda enim esset manus uel liganda que depilaret

⁴ Cf. Matt 22:37; Marc 12:30; Luc 10:27

caput proprium uel erueret oculum. Cum enim quis perdit mansuetudinem, amittit hereditatem cum Dominus dicat, *Beati mites et cetera*.⁵ Exemplis enim brutorum animalium deberemus moueri. Quedam auis est que appellatur pia auis que tanto affectu incubat quod deplumat se et fouet pullos et cetera. Et iterum pulli refouent et cetera.

[9] Sequitur de ieiunio; sicut in corpore duo sunt, scilicet corpus et anima, ita in ieiunio, detinetur enim a cibo extra sicut intra, set uita ieiunii est abstinere a malis uoluntatibus et deliciis. Sicut enim corpus uiuit cum anima, ita ieiunium cum uita; cum enim segregatur anima a corpore, putrescit corpus et ita ieiunium. Et hoc est quod dicit apostolus: *Abnegantes impietatem et secularia desideria sobrie et iuste et pie uiuamus et cetera*.⁶ Et meritum huius ieiunii est: *Expectantes beatam spem et aduentum glorie et cetera*.⁷

[10] Natura enim posuit metam sibi que non transit salutem set cum quis transit desiderie^e ultra, transit penitus ad libidinem; supleta necessitate corporis, libidini seruit uoluptas. Set cum transiuimus huc usque metam, ideo ius est ut ponamus nunc terminum infra metam. Sepius enim transgressi fuimus horam commestionis maiori eciam sacietate et ardencius delicioso apparatu. Econtrario modo debemus nunc expectare horam minus, comedere suauius et minori apparatu. Set forte dicet aliquis, 'Si comederem ita, non sustinerem me sic et inpediretur sanitas'. Responso: 'Comede quantum salus et seruicium Dei sinit'. Set quis posset hoc scire cum desiderium clamat, 'Comede magis'. Ideo sancti uolebant stare magis infra metam quam transire ultra. Sarra ieiunabat tres dies in oracionibus et Helyas dicens: *Tum trium ebdomadarum dies ieiunabam, panem desiderabilem non comedebam*,⁸ quod non faciunt qui deliciose^f

⁵ Matt 5:4

⁶ Titus 2:12

⁷ Titus 2:13

⁸ Dan 10:3

comedunt. Set si aliquis habeat delicia fercula quam alius, non debet ex hoc superbire set magis dolere propter suam infirmitatem; et ne superbiat magis pro sua infirmitate quam alius pro salute.

[11] Debet eciam quisque ieiunare ad honorem Dei et non gule neque pecunie neque fame. Ieiunat gule qui quod subtrahitur hodie detinet ad crastinum uel ad cibaria delicia. Rectum ieiunium est seruare ad opus pauperum omne illud quod relinquitur. Ieiunare pecunie est quod subtrahitur de expensis hodie et cras et ita de aliis seruare et sic pecuniam congregare. Ieiunium fame nunc faciunt ypocrite et ideo dicit Dominus per prophetam cum multa *ieiunastis mihi*, non ieiunastis.⁹ Primum preceptum paradisi fuit abstinentia, cum Dominus dixit, 'Non comedes de ligno' et cetera.¹⁰

[12] Set duo sunt que occidunt ieiunium, scilicet inpotencia et superbia. Cum enim aliquis ieiunet in pane et aqua tota die, irascitur nec apparet letus illo die: ecce inpotencia, et sic occidet uitam ieiunii. Vel superbit ex hoc et dicit infra se, nullus istorum est mihi similis, ut dixit phariseus, '*Ieiuno bis*' et cetera, '*Non sum sicut ceteri homines*'.¹¹ Vnde apostolus: *Qui non manducat manducantem non diiudicet*.¹² Donec igitur Dominus <uenit> qui quadragesimam ieiunauit nobis, ita geiunare ut possimus ad patriam peruenire quod nobis prestare dignetur et cetera.

^a concupiscenciam] concupiscencia *ms*

^b superbiam] superbia *ms*

^c uilibus] uidebitis *ms*

^d lucrarentur] lucraretur *ms*

^e desideria] desiderie *ms*

^f uiuunt *expung. in ms*

⁹ Cf. Zach 7:5

¹⁰ Cf. Gen 2:16-17

¹¹ Cf. Luc 18:11-12

¹² Rom 14:3

T2 Milicia est uita hominis super terram

fol. 78rb-vb

*Milicia est uita hominis super terram.*¹

[1] Miles dura sustinet et tamen de duris gaudet. Dominus dura pertulit et nobis exemplum prebuit. Qui igitur uult eius miles esse, oportet ut sequatur ipsum et ut sustineat dura, ut in euuangelio: *Qui uult uenire post me, tollat crucem suam et sequatur me.*² Et in psalmo: *Propter uerba labiorum tuorum ego custodiui uias duras.*³ Et legitur de beato Thoma, 'Spe mercedis et corone stetit fortis in agone'.⁴ Recidiuans tria facit: dictum iracundum facit, demonem letificat, et se ipsum ad maiorem penam prouocat.

[2] De primo in Ecclesiastico: *Effraym in amaritudinibus me prouocauit;*⁵ Effraym fructiferum uel fertile interpretatur.⁶ 'Offenso creatore offenditur omnis creatura, omnes eciam angeli odio eum habent';⁷ unde in Trenis: *Omnes amici eius spreuerunt eam et facti sunt ei inimici.*⁸ Et Augustinus: 'Acriores penas non inferimus demonibus quam cum peccata nostra plangimus'.⁹ Et in psalmo: *Coram illo, Deo scilicet, procident Ethiopes et inimici eius terram lingent;*¹⁰ Ethiopes, id est peccatores, et inimici eius terram lingent pre nimio dolore.

[3] Hii sunt qui letantur cum aliquis malefecerit et exultant in rebus pessimis.

Econtra Dominus iustus est et iusticias dilexit. Si culpa augmentatur, augmentabitur et pena. Nonne demencia esset hospitare talem hospitem qui consumeret omne bonum

¹ Iob 7:1

² Cf. Matt 16:24; Marc 8:34; Luc 9:23

³ Ps 16:4

⁴ *non inu*

⁵ *recte* Os 12:14

⁶ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 81)

⁷ *non inu*

⁸ Thren 1:2

⁹ Cf. Augustinus, *Sermones*, 351.3 (PL 39, 1542)

¹⁰ Ps 71:9

quod esset in domo per spacium // fol. 78va // unius noctis, ita est peccatum quam cito ospitator dissipat omnia bona que prius aliquis fecerat; unde Ecclesiastes: *Qui unum peccatum peccauerit multa bona perdidit.*¹¹

[4] Set superbia est caput et principium omnium peccatorum. Hec est que angelum mutauit in demonem. Vnde Augustinus: 'Quemcumque superbum uideris, filium diaboli sine dubio ipsum reputas',¹² et merito quia sequuntur ipsum in omnibus. Diabolus uero cum depingitur informis est, set tamen liripipiatus. Ita faciunt omnes superbi; nituntur esse liripipiati in omnibus membris, in capillis, in scapulis cum supertunicis, in socularibus. Ita eciam faciunt stulte mulieres cum portant uexillum diaboli, scilicet peplum tinctum. Et si habeant capillos fuluos, exponunt sub peplo et monile quo deberent tegere nuditatem. Demittunt uersus zonam et demittunt sinum apertum a lateribus, unde lecatorez possent aponere manus. Set ita est de eis sicut de nuce, quia cum nux aperta sit et perforata, signum est quod est uacua et a uerme uiolata. De quibus Ysaías: *A planta pedis usque ad uerticem capitis, non est in eo sanitas;*¹³ super, subtus, ante et retro, dextrorsum, sinistrorsum sequitur diabolus per superbiam.

[5] Vnde igitur superbit homo cum non habeat infra nec extra aliquid quod suum proprium est. Vnde Bernardus: 'Inter omnia animalia pauperior nascitur homo, set nunquam pauperior uiuit quam nascitur. Detur enim corium animalibus, lana capris et ouibus, linum terre. Quid ergo habes quod non accepisti, scilicet ab illis?'.¹⁴ Set illi nichil a nobis, cum a natura habeant suum regimentum et pastum. Infra autem non habemus, immo superbimus. Vnde non est tam pulcra domina nec homo quod non habet in se uas stercorez; unde in Michea: *In medio tui humiliacio tua,*¹⁵ scilicet causa

¹¹ Cf. Eccle 9:18

¹² *non inu*

¹³ Isa 1:6

¹⁴ *non inu*

¹⁵ Mich 6:14

humiliacionis. Item apostolus: *Christus passus est pro uobis, uobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius.*¹⁶ Indecens est caput humile^a et membrum superbum, unde sanctus: ‘Deus humilis factus est, erubescere homo esse superbus’.¹⁷

Vnde Bernardus: Si exaltas te quantum potes, Deus humiliabit te quantum potest, scilicet proicere te usque ad infernum, ergo, et cetera.¹⁸ Set dicet aliquis, ‘Non possunt omnes intrare religionem’. Responsio: Quicumque uult esse in mundo, oportet ut faciat tria, si uult saluus esse, hec scilicet, non iniuste temporalia lucrari, nec temere expendere, nec firmiter tenere. Iniuste lucratur cum non mensurat recte, unde eadem mensura qua mensi fueritis, eadem mensura et mensi eritis.¹⁹ Set metiuntur^b, scilicet pannos, uirga ferrea, eadem uirga eorum latera mecientur, unde in psalmo: *Reges eos in uirga ferrea et tanquam uas figuli confringes eos.*²⁰ Et alibi: *Verumptamen filii hominum mendaces in stateris et cetera.*²¹ Et Ysaias: *Ponam iudicium in pondere et iusticiam in mensura,*²² et Bernardus: ‘Extreme demencie est potare ea que obtemperant appetitum et si potantur non saciant potantem’.²³ Quanto magis mundo adheseris, inmundior eris. Et in psalmo: *Tesaurizat et ignorat et cetera.*²⁴ Super hoc beatus Bernardus: ‘Ignorat an furi fodienti, an tinee emolienti, an hosti rapienti, an igni deuoranti’.²⁵

[6] Qui miles Christi est eius arma sunt spiritualia; cuius miles potest agnosci per eius arma, gulosi per gulam et ebrietatem, set eorum arma sunt mollia et cito penetrantur. Alii homines, cum petunt loca sancta, recuperant membra et sensus et

¹⁶ I Pet 2:21

¹⁷ Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, 54.13 (CCSL 39)

¹⁸ non inu

¹⁹ Cf. Luc 6:38

²⁰ Ps 2:9

²¹ Ps 61:10

²² Isa 28:17

²³ Cf. Bernardus, *Liber de diligendo deo*, 18 (*Opera*, III, 134)

²⁴ Ps 38:7

²⁵ Cf. Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 80.4 (*Opera*, II, 279)

sanitatem, ueri redientes, set ipsi, cum redeunt a taberna, amittunt omnia predicta. Vnde Bernardus: ‘Vidi insanum uolentem esse insanum, set nunquam sanum uolentem esse insanum’.²⁶ De quibus Ieremias: *Congrega eos quasi gregem ad uictimam.*²⁷ Set dolendum est de stultis puellis qui discurrent in uico sicut pullus indominalis in equitio. Set cum pullus debet capi, quidam^c uadit ex una parte et alius ex altera et ita fugant ipsum, donec ueniat in caulam et statim ibi funibus ligatur et capitur. Ita faciunt circa puellam iuuenis uel clericus ex una parte et pronuba ex alia et sic fugant, donec ueniat^d in caulam, scilicet in domum pronube et ibi ligatur funibus, scilicet brachiis iuuenis. Vnde in Ecclesiastico: *Quasi pullus equinus fugabitur,*²⁸ et domabitur set sufficit preteritum tempus dedisse deliciis. Virginitas ex quo semel elabatur nunquam iterum recuperabitur. Vnum peccatum esset deflendum per totum tempus uite hominis. Que ergo demencia est addere peccatum peccato.

[7] Tres sunt domini: Deus, mundus, diabolus. Vnde Bernardus: ‘Mundus promittit set deficiet, diabolus promittit et cruciet, Dominus promittit et reficiet’.²⁹ Set plures sunt qui magis seruiunt mundo et diabolo quam Domino. De quibus Bernardus: ‘*Popule meus, quid debui tibi facere et non feci?*³⁰ Quid cause est quod inimico meo uestroque libet seruire potius quam mihi? Neque enim ille creauit uos nec pascit ad temporalia uestra disponit. Et si parua hec uidentur in gratis, adiciam maiora; non enim ille set ego redemi uos, set quo precio? Non utique corruptibili auro uel argento, set proprio uos cruore redemi. Si neque tam multiplici iure debitum a uobis eliciatur, amissis omnibus hiis saltem ex denario diurno^e conuenite. Eique obtemperate qui plurima uobis pollicetur et potiora aput quem cercior copiosiorque remuneratio est’.³¹

²⁶ *non inu*

²⁷ Ier 12:3

²⁸ Eccli 23:30

²⁹ *non inu*

³⁰ Isa 5:4

³¹ Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu*, 43.52 (PL 184, 464-65)

[8] Set ita est de misera anima cum debet exire a corpore sicut lepus qui iacet in formula qui // fol. 78vb // quamuis uidet leporarios ad se uenientes uix uult exire quam cito et^f dilaceratur a canibus. Ita misera anima uidet demones cum uncis^g et funibus undique stantes et quam inuite exit pre nimio horrore. Cum tamen non potest non exire quantus eciam erit horror cum debet in iudicio apparere et ubi impossibile est latere. ‘Quo fugis ex illo qui claudit cuncta pugillo?’³² Vnde in psalmo: *Si sumpsero pennas meas diluculo et cetera;*³³ *Si ascendero in celum tu illic es et cetera.*³⁴ Et nota quod sicut in natali in castello quidam gaudent et letificant, quidam sub eis in carcere esuriunt et siciunt; ita erunt quidam in celo gaudentes, quidam in inferno lacrimantes, unde Dominus per Ysaiam: *Populus meus bibet et uos esurietis.*³⁵ Donec igitur Dominus et cetera.

^a humile] humilie *ms*
^b metiuntur] metuntur *ms*
^c quidam] quidat *ms*
^d ueniat] *corr. ex* ueniant
^e diurno] diuino *ms*
^f et] ex *ms*
^g uncis] unctis *ms*

³² non inu

³³ Ps 138:9

³⁴ Ps 138:8

³⁵ Isa 65:13

T3 Exemplum esto fidelium

fols 78vb-79ra

*Exemplum esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate.*¹

(apostolus ad Timotheum 1.4).

[1] Apostolus doctor sollicitudinem omnium pastorum habens, hiis uerbis alloquitur doctoribus ecclesie dicens: *Exemplum* et cetera. Quociens sumus in operibus et in bona uite conuersacione, sumus liber et speculum in quibus subditi possunt legere et speculari uitam eorum. Set si in aliquo nostrum sint opera luxurie, in quibus leuator potest legere uitam, uel opera cupiditatis uel alia huiusmodi, utique laqueus est et ruina omnium in ipso aspiciendum. De quibus dicit propheta: *Peccata populi mei comedunt et ad iniquitatem subleuant animas eorum.*²

[2] Iusticia est ut qui hic saturantur de miseria aliorum quod alibi comedent et non saturabuntur,³ esurient et non dabitur eis. Plures sunt qui non illaqueant alios prauis exemplis set non docent ut deberent et in hoc Deum derelinquunt. Nonne fatuus esset immo dampnandus qui diceret se esse medicum et acciperet manu ut curaret egros et non sciret de arte medicamenti? Esset utique multo forcius qui dicit se esse medicum animarum. Ideo ut dicit apostolus, necesse est ut essent tales quod darent exemplum operibus conuersacione et cetera, unde apostolus: *Sic luceant opera nostra coram hominibus ut glorificent patrem nostrum qui in celis est.*⁴

[3] Item oculus quanto lucet pre ceteris membris, ita prelati, qui sunt oculi Dei, debent perlucere et radios lucis in alios infundere; de eis in Canticis: *Oculi tui*

¹ I Tim 4:12

² Os 4:8

³ Cf. Os 4:9

⁴ Matt 5:16

*columbarum.*⁵ Item oculi a puluere et leuibus festucis leduntur,⁶ et in lacrimas defluunt; de quibus cetera membra nostri paciuntur. Ita prelati ecclesie a pulueribus uenialium peccatorum leduntur et in lacrimas compunctionis deducuntur eis. Enim sunt sensibilia et dolorosa que subiecte plebi sunt insensibilia qui non attendunt prophete qui dicit: *Os quod mentitur occidit animam,*⁷ et *De omni uerbo ocioso reddituri sunt rationem.*⁸

Qualis enim est pastor respectu gregis, talis debet esse prelatus respectu subditorum. In puritate autem oculi potest quisque aspicere se, set tamen non uidet nisi paruum; ita respectu prelatorum uite, debent quilibet uideri pusilli.

[4] Labia uestra debent esse ab omni sorde et uanitate defecata; et non sint in terram cadencia. Vos enim non solum estis oculi set os Dei. Dicit enim: *Si separetis preciosum a uili os meum estis;*⁹ unde in Parabolis: *Vera uita os iusti,*¹⁰ et in euuangelio: *Non enim uos estis qui loquimini set spiritus patris uestri et cetera.*¹¹ Transit per uos, scilicet os, filius mundissime et castissime uirginis, uerus Deus, uerus homo, creator celi et terre, uerus panis uite. Qua temeritate temperat^a uel audeat aliquid sordidum uel mendacium illuc transferre ubi transierunt tam dulcia? Vnde in psalmo: *Perdes omnes qui locuntur mendacium.*¹² Recole quod <es> os eius cuius uerbum in eternum stat.¹³ Recole eciam quod es os eius cuius uerba sunt *dulciora super mel et fauum,*¹⁴ cuius eciam sermo est ‘mel in ore, melos in aure’ et cetera.¹⁵ Vobis eciam dictum est: *Vt non loquatur os meum opera hominum et cetera.*¹⁶ Omnis sermo uester debet condiri consilio et sapientia.

⁵ Cant 1:14; Cant 4:1

⁶ Cf. Matt 7:3

⁷ Sap 1:11

⁸ Cf. Matt 12:36

⁹ Ier 15:19

¹⁰ Cf. Prou 10:11

¹¹ Matt 10:20

¹² Ps 5:7

¹³ Cf. Isa 40:8

¹⁴ Ps 18:11

¹⁵ Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 15.6 (*Opera*, I, 86)

¹⁶ Ps 16:4

Considera quod lingua est sub palato quod est concauum ut celum; extra enim ambitum celi nulla uerba sunt meditanda. Que infra sunt debent esse in signum pacis: *Verbum dulce multiplicat amicos et inimicos mitigat.*¹⁷ Ad hoc quod conseruemus uerba amonet qui dicit quod uerbo nostro habemus omnem dignitatem interius et exterius. In exteriori precellimur bruta; in interiori equamur angelis, consiliamur Deo. Qualiter igitur sordidum est illud quod est initium omnis dignitatis! Nobis dicitur uerbum tuum sit solidum et alibi: *Qui moderatur labia perfectus est.*¹⁸

[5] Sequitur in conuersacione. Debet esse ylaris in opere exterius, risus rarus mite conuersacionis, uultus modestus quia uultus est manifestacio cordis et secreta indicans. Vultus enim dicitur quasi uoluntatem indicans, temperatus contra uoluptates. Debet eciam esse coadunacio discordancium in sermone audibili, discretus, humilis in rogando, inflexibilis in corrigendo.

[6] Sequitur in caritate. Caritas est dilectio non quecumque quia in Deo est ipse Deus, in nobis est dilectio, qua diligimus Deum propter se et proximum propter Deum.¹⁹ Caritas // fol. 79ra // est inicium omnium uirtutum. Caritas est qua debemus proximo egenti in tempore tranquillitatis necessaria largire, in tempore persecucionis pro ipsis nosmetipsos morti exponere. Vnde Iohannes: *Qui uiderit fratrem suum necessitatem patientem et clauserit uiscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?*²⁰ Et Dominus in euangelio: *Maiorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat et cetera.*²¹ Veram caritatem habuit qui dixit: *Aut dimitte populo noxam hanc aut dele me*

¹⁷ Eccli 6:5

¹⁸ Cf. Prou 10:19

¹⁹ Cf. Augustinus, *De doctrina christiana*, 2.7 (CCSL 32)

²⁰ I Ioh 3:17

²¹ Ioh 15:13

*de libro uite in quo me scripsisti,*²² et Paulus qui dixit: Vt anathema essem pro animabus uestris.²³

[7] Quid igitur dicendum est de hiis qui non solum non dant set alicua rapiunt? De quibus Ysaïas 3: *Vos depasti estis uineam meam rapina pauperis in domo uestra,*²⁴ et idem x: *Ve qui condunt leges iniquas et scribentes iniusticiam scripserunt ut opprimerent in iudicio pauperes et inde facerent causas humilium populi mei ut essent uidue preda eorum et pupillos dirruperent.*²⁵ Osee 4: *Peccata populi mei comedunt et ad iniquitatem subleuant animas eorum.*²⁶ Amos 2: *Super uestimentis pignoratis accubuerunt iuxta altare meum et uinum dampnatorum bibebant in domo Dei sui.*²⁷ Idem 6: *Sicut Dauid putauerunt se habere uasa cantici bibentes in fialis uinum et optato unguento delibuti^c et nichil paciebantur super contricionem Iosep.*²⁸ Et in psalmo: *Qui deuorant plebem meam et cetera.*²⁹ Et Micheas: *Qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriauerunt et ossa eorum confregerunt et consciderunt sicut in lebete et quasi carnem in medio olle.*³⁰ Per pellem, intellegitur exterior possessio que non potest auelli sine lesione carnis. Per ossa, fortitudo anime quia nimirum quod non habent confidenciam dicendi secreta ei qui uellet rapere et ab eis sua diuellere. Hii sunt qui abscondunt se in latebris camerarum ne audiant clamorem pauperum. Quibus Dominus: *Qui non exaudit miserum in afflictione, clamabit ipse et non exaudietur.*³¹ Et iterum: *Qui auertit faciem suam ab indigente, auertetur facies Dei ab eo.*³² Econtrario

²² Ex 32:31-32

²³ Cf. Rom 9:3

²⁴ Isa 3:14

²⁵ Isa 10:1-2

²⁶ Os 4:8

²⁷ Am 2:8

²⁸ Am 6:5-6

²⁹ Ps 13:4; Ps 52:5

³⁰ Mich 3:3

³¹ Cf. Prou 21:13

³² Cf. Tob 4:7

dictum est eis: Quod egrotum est alligatis, quod perditum est colligatis, non cum grauitate set cum intimo affectu.³³

[8] Sequitur in fide. Set loqui de fide indigeremus prolixitate temporis et quia satis instructi estis de fide et Deo, de ea nichil ad presens.

[9] Set de castitate: nichil congruencius conuenit quam qui amplectitur in die filium caste uirginis, uerum Deum et uerum hominem, quam caste et munde uiuere. Nichil iterum congruencius quam qui de die amplectitur filium castissime uirginis et os ori coniungit, tam dulce tam care se sibi offerre, et de nocte inmundissimam filiam ueneris amplecti. Hanc uero secuntur multe pedisseque, illum uero multe uirtutes. Prima pedissequa est que sequitur hanc, apostasia, quia ut dicit propheta: *uinum et mulier apostasiam faciunt*.³⁴ Hanc nefandissimam dominam sequitur dolus, homicidium; Dauid propter eam fidelem occidit Vrielem.³⁵

[10] Sequitur eciam eam furtum, rapina, temeritas, efeminacio, ebrietas, multi morbi corporales et cetera. Hos colligatis et uideatis turpitudines et horrorem familie. Agnus simplex filius caste uirginis et hic cetus nefandissimus in uno domicilio non possunt simul commanere. Ponite castitatem in porta et seminate bona opera et erit fructus centesimus et nomen eternum quod non periret. Hanc precedunt in domum mentis uestis asperitas, cibi parcitas, penitencie amaritudo; uallat humilitas hanc in hostium mentis. Suscipite ut sitis exemplum ut predictum est ut nomen eternum habeatis. Quod nobis prestare dignetur et cetera.

^a temperat] cepormat *ms*

^b essent] esset *ms*

^c delibuti] delibuta *ms*

³³ Cf. Eze 34:4

³⁴ Eccli 19:2

³⁵ Cf. II Reg 11

T20-21 Serue nequam**fols 81vb-82rb**

*Serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.*¹

[1] Due sunt regule theologie; una in ueteri, alia in nouo. In ueteri est hec: quod tibi non uis propter alii ne feceris; suppleatur tantum alii ne feceris iniuste. In nouo est hec: *Omnia quecumque uultis ut uobis faciant homines et cetera;*² suple omnia quecumque iuste uultis et cetera. Qui secundum has duas regulas uiuit, rariter uiuit. Qui autem aliter uiuunt, in spacio sunt et spaciosa uia que ducit ad mortem incedunt.³ Sic ergo necesse est ut has regulas semper pre oculis cordis habeamus et secundum eas omnia opera nostra dirigamus ad Deum ut siue manducemus siue // fol. 82ra // bibamus siue aliquid alio faciamus.⁴ Omnia ad laudem Dei retorquamus quia eciam de omni uerbo ocioso reddituri sumus rationem in iudicio; unde omni tempore, omni hora ad laudem et honorem Dei aliquid agendum ne nos inueniat diabolus ociosos.⁵

[2] *Multam enim maliciam docuit ociositas,*⁶ ut dicit Ecclesiasticus, et ut dicit Origenes: 'Inanis est omnis actus uel sermo qui non fit pro Deo uel pro Dei mandato'.⁷ *Operemur ergo bonum dum tempus habemus,*⁸ ne in friuolis et uulgis dies consummamus. Vnde beatus Bernardus: 'Nemo parui estimat tempus, quod in dictis factisque consumitur ociosis; fugit tempus irremeabile, uolat uerbum irreuocabile et insipiens non attendit quid amittat. Confabulemus, inquiunt homines, dum hora

¹ Matt 18:32

² Matt 7:12

³ Cf. Matt 7:13

⁴ Cf. I Cor 10:31

⁵ Cf. Hieronymus, *Epistolae*, 125 (CSEL 56, 130)

⁶ Eccli 33:29

⁷ Origenes, *In Numeros homiliae*, 25.3 (Corpus Berolinense, 30, 236)

⁸ Gal 6:10

pertranseat horam^a, quam ad agendam penitenciam, ad inperpetrandam ueniam, ad promerendam gratiam, ad consequendam gloriam misericordia saluatoris inducit'.⁹

[3] Parte ergo dispensandum est tempus quia omne temporis nobis impensum requiretur qualiter sit expensum; unde apostolus: *sine intermissione orate*,¹⁰ id est, semper aliquid boni agite. Non enim desinit orare nisi qui desinit bene facere. Omnis ergo bona accio est oracio; et sic omnis oracio imperfecta est sine uerbo, sic omnis accio informis est et imperfecta sine Christo, qui est uerbum Dei patris. Vnde ipse Dominus ait in euuangelio: *Sine me nichil potestis facere*.¹¹ Et apostolus: *Non est uelle; uolentis nec currentis set Dei miserantis*.¹² Hinc est quod omnes oraciones in ecclesia terminantur per Christum ut manifeste patet omnibus. Semper ergo secundum predictas regulas uiuamus ut rariter et linealiter per artam uiam ad gaudia eterna pertingamus.¹³

[4] *Serue nequam* et cetera. Rex iste qui posuit racionem seruis suis Dominus noster est Jhesus Christus; serui eius sunt omnes quos precioso sanguine suo redemit in cruce, qui de omnibus reddituri sunt ei racionem in iudicio. Tria uero maxime sunt attendenda de quibus reddituri sumus racionem, quod homines sumus mentem racionalem habentes. Ne in uano animam acceperimus qua bonum a malo, uerum a falso, honestum ab inhonesto separare debemus; qui non accipit in uano animam suam, hic accipiet benediccionem a Domino. Alium est quod in baptismo Christi nomen accepimus: a Christo dicti Christiani. Ne nomen Domini Dei nostri in uanum assumpserimus. Tercium est quod in aliquam sortem et ministerium fidelium uocati sumus, ut clerici, milites, agricultores. Necesse est ergo ut unusquisque hec tria attendens, uocationem

⁹ Bernardus, *Sermones de diuersis*, 17.3 (*Opera*, VI/1, 152)

¹⁰ I Thess 5:17

¹¹ Ioh 15:5

¹² Rom 9:16

¹³ End of T20, start of T21

suam in qua uocatus est diligenter attendat et in ea secundum predictas regulas deseruiat.

[5] Videamus nos clerici quod in uocatione quod uocati sumus bene seruiamus.

Clericorum est sacram scripturam adicere, laicos instruere, animas regere, pro omnibus orare et diuinis obsequiis semper intendere. Quid ergo dicendum est de hiis qui lucratiuis scienciis intendunt et in illis senescentes tempus consumunt? Qui animas curare deberent, oues et boues procurant, bursas et archas impregnant et curam animarum obmittunt? Cum cura animarum sit sciencia scienciarum, certe dicendum est quod non sunt clerici. Clerici enim dicuntur a cleros, quod est sors, quasi in sortem Dei uocati.

[6] Set dicitur sapiens qui per clericatus officium aliud quam Deum querit; nec electus est a Deo, nec Deum eligit. Tales ergo iuxta hanc rationem clerici non sunt, set potius ecclesie sunt aduersarii; non rectores set uoratores quia, iuxta quod dicit Osee, *Peccata populi mei comedunt et ad iniquitatem subleuant animas eorum.*¹⁴ Ea enim que pro peccatis offerunt sibi incorporant et per prauum exemplum et inhonestam uitam ad iniquitatem alios inuitant. Set caueant, cum sint principes et rectores populi, ne de hiis fiat quod dixit Dominus ad Moysen: *Tolle principes populi et suspende eos contra solem in patibulo*.¹⁵

[7] Hoc autem dignum^b Dei ulcione fit ut, sicut eorum culpa, sic et eorum pena sit in exemplum hominibus. In reddendi racione attendendum est quod iustus est Dominus misericors, ut patet in hoc seruo nequam cui eximia omnia debita dimisit. Set ex iusticia, cum ipse conseruo suo non dimitteret quod dimissum fuerat, reuocauit, quia sicut dicit Dominus in euuangelio: *Si non dimiseritis ex corde unicuique fratri tuo nec*

¹⁴ Os 4:8

¹⁵ Num 25:4

*pater noster celestis dimittat.*¹⁶ De hac sententia dicit Augustinus: ‘Qui ab hoc terribili tonitru^c non expergiscitur, non dormit, set mortuus est’.¹⁷ Ex hoc patet quod ille seruus nequam in peccato suo mortuus erat; unde dicitur ‘nequam’ quasi ‘non quis’, id est ‘non aliquis’, quia ut ait Augustinus, ‘Homines nichil fiunt cum peccant’.¹⁸

[8] Necessesse est ergo ut semper pre oculis habeamus iusticiam et misericordiam et ut misericordiam cum conseruis nostris faciamus et debitoribus nostris debita dimittamus ut ad salutem nostram petere ualeamus; et *Dimitte nobis* et cetera.¹⁹ Ad hanc misericordiam nos inuitat Dominus in euuangelio dicens: *Estote misericordes sicut et pater uester misericors est.*²⁰ Ad hanc eciam nos inuitat misericordiam qua amotus est pro nobis pendens et moriens // fol. 82rb // in cruce, unde Augustinus: ‘Inspicite uulnera pendentis, sanguinem morientis, cicatrices resurgentis, premium credentis, commercium redimentis’.²¹ Hec quanti ualeant cogitate, hec in statera caritatis apprehendite. Hanc ergo misericordiam attendentes misericordes simus.

[9] Misericordia enim Dei est quod non sumus consumpti. Cum enim in patre nostro primo omnes peccauerimus et in omne genus peccati in ipso inciderimus, de omni peccato tanquam nobis dimisso Deo gracias agere debemus. Vnde Augustinus: ‘Omnia peccata sic sunt habenda quasi dimittantur, a quibus nos conseruat Deus ne comitantur’.²² Operibus ergo misericordie insistentes et debitoribus dimittentes confitenter dicamus, *Dimitte nobis* et cetera. Per hanc petitionem acquiritur donum sciencie que docet bene conuersari in medio huius praeue et peruerse nacionis.²³

¹⁶ Cf. Matt 18:35

¹⁷ Augustinus, *Enchiridion de fide, spe et charitate*, 19 (CCSL 46, l. 73)

¹⁸ Augustinus, *In Ioannis euangelium tractatus CXXIV*, 1.13 (CCSL 36)

¹⁹ Matt 6:12

²⁰ Luc 6:36

²¹ Augustinus, *De sancta uirginitate*, c. 54 (CSEL 41, 300)

²² Augustinus, *De sancta uirginitate*, c. 41 (CSEL 41, 286)

²³ Cf. Phil 2:15

[10] Hoc docet lugere pro peccatis quoniam luctum consequitur consolacio, unde *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.*²⁴ Hunc luctum destruit terrena felicitas siue possessio, unde Chaym interfecit Abel, id est terrena possessio luctum penitencie. Abel enim luctus interpretatur, Chaym possessio.²⁵ Set Lamec interfecit Chaym et genuit Noe. Lamec interpretatur percuciens et significat disciplinam siue castigans, Noe requies.²⁶ Lamec ergo interfecit Chaym et genuit Noe, id est disciplina interfecit possessionem et destruxit possessionem siue amorem terrenorum et gignis requiem, id est mundi contemptoribus preparat uitam et requiem eternam. Regulari ergo discipline insistamus et secundum predictas regulas uiuamus ut ad uitam et requiem eternam perueniamus ad quam nos perducatur et cetera.

^a horam] hora *ms*

^b dignum] digna *ms*

^c tonitru] *corr. ex tonito*

²⁴ Matt 5:5

²⁵ Cf. Hieronymus, *Liber int. heb. nom.* (CCSL 72, 63)

²⁶ Cf. Hieronymus, *Liber int. heb. nom.* (CCSL 72, 69)

T22 Ecce nunc dies salutis fols 82va-83va

[1] *Ecce nunc dies salutis.*¹ Ad literam iam instant dies in quibus debemus penitenciam agere per quam fit salus anime. Verumtamen sciendum quod triplex est dies: dies penitencie, dies contemplacionis uel intelligencie, dies glorie. Istorum autem trium dierum, unus est sol, scilicet Christus ipse.

[2] Secundum quod per radium gracie sue fugat tenebras peccatorum, efficit diem penitencie, et sic dicitur sol iusticie. Per penitenciam enim luce gracie informatam iustificat nos. De hoc sole in Malachia ultimo: *Orietur uobis timentibus nomen meum sol iusticie.*² Timentes autem Deum sunt uere penitentes. Secundum uero quod per radium ueritatis fugat tenebras ignorancie, illuminans corda ad intelligendum quoquomodo eterna efficit diem contemplacionis uel intelligencie, et sic dicitur sol intelligencie. De quo in libro Sapiencie v ubi loquitur in persona reproborum qui dicent in die iudicii: *Sol intelligencie non illuxit nobis.*³ Secundum autem quod ostendet se electis in patria facie ad faciem sicut est in sua diuinitate efficit diem glorie. In patria namque, *Non erit sol et luna ut luceant in ea set claritas Dei illuminabit eam* (Apoc xxi).⁴

[3] Isti autem dies sic se habent ad inuicem quod dies penitencie contemplacionis antecedunt diem glorie. Dies autem penitencie precedit diem contemplacionis uel intelligencie, non quod una succedat alii set dies contemplacionis diei penitencie superadditur. Iuxta illud in psalmo *Dies super dies regis adicies.*⁵ Quod expressius

¹ II Cor 6:2

² Mal 4:2

³ Sap 5:6

⁴ Apoc 21:23

⁵ Ps 60:7

innuit beatus Gregorius dicens: 'Quisquis iam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc ad secreta intime contemplacionis extendat.'⁶

[4] Ecce dicit 'quisquis' et non solum 'claustralis', sicut dicunt multi quod solum claustrales uacare debent contemplacioni. Immo omnibus uere penitentibus quedam contemplacio necessaria est. Non enim posset quis diu uere penitencie sufferre laborem nisi aliquando sursum ascenderet ad contemplacionis refectionem. Que relectio significatur in Exodo xiiii ubi legitur quod: *Moyses et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senioribus ascenderunt et uiderunt Deum et comederunt et biberunt.*⁷

[5] Sic igitur uere penitenti necessaria est quedam contemplacio, sicut multum laboranti plerumque alia relectio et econtrario nam in speculam ad contemplacionem non possit quis ascendere nisi per gradus penitencie. Vnde Ieremias xxxi: *Statue tibi speculam et pone amaritudines.*⁸ Quasi diceret, in speculam ad contemplacionis refectionem non ascendes nisi per penitencie amaritudines. Scriptum est enim: *Qui non laborat non manducet.*⁹

[6] Hinc est quod dicit beatus Iob iii: *Antequam comedam suspiro.*¹⁰ Et ibi dicit beatus Gregorius: 'Sic suspirat antequam comedat qui prius gemitu tribulacionis afficitur et postmodum contemplacionis refectione saciatur. Nisi enim suspiret non comedit quia qui^a se in hoc exilio per desideriorum celestium lamenta non humiliat, interne patrie gaudia non degustat'.¹¹ Ex hiis quod utraque alteri est necessaria, nam contemplacio uirtutum impetrat penitenciam agendi et penitencia gratiam promeretur contemplandi, nos igitur tendentes ad diem glorie quasi duas dietas per diem, scilicet penitencie et contemplacionis, oportet facere. Vnde Abraham pergens ad terram

⁶ Gregorius, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, 325)

⁷ *recte* Ex 24:9-11

⁸ Ier 31:21

⁹ II Thess 3:10

¹⁰ Iob 3:24

uisionis: *Tercia die eleuatis oculis uidit locum in unum scilicet moncium, quo iustus erat (Gen xxii).*¹² Ille autem mons^b significat celum. Vnde Osee vi: *In die tertia suscitabit nos et uiuemus in conspectu eius.*¹³ In eius autem conspectu uiuere et eum uidere est uitam eternam possidere.

[7] Prima uero dies dicitur quia tenebras peccatorum fugat, ipsam animam illuminat, occulta cordis manifestat omnibus, quantum de se est se communicat. De primo Prouerbia xxii: *Virga discipline fugabit stulticiam,*¹⁴ id est peccatum, quod est maxima stulticia. De secundo Ysayas xxviii: *Tantum modo uexacio dat intellectum auditui.*¹⁵ Et Iob xxxvi: *In tribulacione reuelabit aurem eius.*¹⁶ De aliis patebit inferius. Hec autem dies oritur per ueram contricionem et *quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem,*¹⁷ per manifestam confessionem et tandem nos excitat ad laborem per bonorum operum satisfaccionem. Oriente enim nobis sole iusticie radium sue gracie super corda peccatorum diffundente, uidet peccator et percipit se peccatis inuolutum, uilem coram Deo et angelis et abhominabilem et sic displicet^c sibi et peccata magis. Iuxta illud Ezechiel xx: *Recordamini uiarum uestrarum pessimarum et desplicebunt^d uobis.*¹⁸

[8] Videt eciam a quanta beatitudine ad quam magna tormenta cecidit, et sic dolet et affligitur. Nec mirum quia dicit beatus Gregorius de penitencibus: ‘Pensant’ inquit, ‘unde lapsi sunt, pensant eciam a quanta beatitudine ad que corrupcionis sue tormenta ceciderunt.’¹⁹ Et preterea uidet per lucem gracie quod est quasi ad portas inferni et quod non distat a morte eterna per unum pedem, secundum quod dicit Daudid in persona

¹¹ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.8 (CCSL 143, 227)

¹² Gen 22:4

¹³ Os 6:3

¹⁴ Prou 22:15-16

¹⁵ Isa 28:19

¹⁶ Iob 36:15

¹⁷ Prou 4:18

peccatoris: *Viuit Dominus, uno tantum gradu ut ita dicam ego et mors diuidimur* (I Reg xx).²⁰

[9] Hoc, inquam, uidens, timet. Timor autem quod conterit et constringit et sic ex pena // fol. 82vb // presenti et timore future pene iminentis fit quasi torcular cor comprimens et conterens. Vnde Cassiodorus: Gemitus a gemino nasci dicitur, quia geminam habet causam doloris: penam presentem^e quam sentit et futuram quam timet.²¹ Huic consonat quod dicit beatus Gregorius: 'Non solum gemunt in hiis que sustinent, set insuper metuunt hoc quod districtus iudex delinquentibus de gehenne ignibus minatur',²² unde in psalmo: *Terrores tui conturbauerunt me.*²³ Ex corde uero sic contrito et humiliato erumpunt gutte lacrimarum preciosissime habundanter effluentes circumquaque.

[10] Quippe lacrimae contricionis sunt quasi sudor^f quo conualescit infirmus, id est peccator, de morbo peccati. Sudorem autem infirmi oportet esse uniuersalem; alter enim non est uerax signum conualescencie set oportet dolere uniuersaliter pro omnibus peccatis. Vnde in Trenis iii: *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contricione.*²⁴ In hiis uerbis innuitur habundanciam lacrimarum contricionis nobis esse necessariam et ualde perutilem. Lacrimae enim pro nobis Deo imperant. Vnde Beda: 'Lacrimae pondera uocis habent',²⁵ non supplicant set imperant et nos a potestate diaboli liberant. Vnde primo Regum xviii legitur quod Micol liberauit Dauid de manibus Saul.²⁶ Micol interpretatur aqua ex omnibus²⁷ et significat lacrimosam contricionem pro omnibus

¹⁸ recte Eze 36:31

¹⁹ Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.5 (CCSL 143, 338)

²⁰ I Reg 20:3

²¹ Cf. Cassiodorus, *Expositio psalmorum*, 6.7 (CCSL 97, 76)

²² Gregorius, *Moralia in Iob* 7.5 (CCSL 143, 338)

²³ Ps 87:17

²⁴ Thren 3:48

²⁵ recte Ouid, *Ex Ponto*, 3.1.158

²⁶ Cf. I Reg 19:11-12

²⁷ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 104)

peccatis que liberat penitentem de potestate diaboli et ideo ad habundanciam lacrimarum nos inuitat.

[11] Ieremias vi: *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.*²⁸ Aquas autem ex torculari contricionis erumpentes plerumque conuertit Dominus in uinum quo nos potando confortat, secundum quod dicit psalmista: *Potasti nos uino compunctionis.*²⁹ Vnum autem pungit et delectat. Sic uere contritus dolet gaudento et gaudet dolendo et sunt gaudia permixta suspiriis, secundum quod legitur in Esdra: *Non poterat quisquam cognoscere uocem clamoris letancium et uocem fletus.*³⁰ Hoc etiam innuit in Prouerbiis xiiii: *Cor quod cognouit amaritudinem anime sue in gaudio eius non miscebitur extraneus.*³¹ Ecce gaudium simul cum dolore. Hinc est quod dicit beatus Augustinus: ‘Penitentis est ut de delicto gaudeat et cum gaudio doleat, et se non semper doluisse doleat’.³² Hoc etiam sciuit experimento secundum quod legitur de eo: ‘Eliquebatur ueritas in cor eius et fluebant lacrimae et bene erat illi cum eis’.³³

[12] Delicatus uero istam dulcem bonorum mixturam non sentit secundum affectum etsi illam quoquomodo cognoscat per intellectum quia, sicut dicit beatus Bernardus, sicut impossibile est ignem ardere in aquis, sic impossibile est deuocionem iungere^b in deliciis.³⁴ Vnde delicatus deuocionem sine gaudium spirituale experimento non cognoscit; est enim *manna absconditum quod nemo scit^h nisi qui accipit* (Apoc ii).³⁵ Si igitur istam admirabilem mixturam secundum affectum uolueritis gustare, accedeteⁱ ad Dominum et illuminamini^j per ueram contricionem que procedat usque ad perfectam diem per apertam confessionem.

²⁸ Ier 6:26

²⁹ Ps 59:5

³⁰ recte Ezra 3:13

³¹ Prou 14:10

³² Ps-Augustinus, *De uera et falsa poenitentia*, 13.28 (PL 40, 1124)

³³ Augustinus, *Confessiones*, 9.6 (CCSL 27, 141)

³⁴ non inu

[13] Confessio namque perfecta et clara dies dicitur quia occulta cordis manifestat.³⁶

Vnde <ad> Ephesios v: *Omnia que arguuntur a lumine manifestantur*,³⁷ id est, omnia que argui possunt lumine confessionis debent manifestari. Item clara dies maiora et minora declarat, sic uera confessio tam maiora quam minora peccata. Multi tamen pudore retardati reseruantque maiora et pingua. Isti sunt similes Saul qui reseruauit contra preceptum Domini Agag pinguisimum (I Reg xv).³⁸ Set attendendum quod propter hoc amisit regnum; sic et tales amittunt celum. Talis autem confessio non est dies salutis, immo confusionis; miserabiliter enim confundetur in die iudicii ubi Dominus omnibus peccata hic^k celata reuelabit. Vnde Naum iii: *Reuelabo pudenda tua in facie tua et ostendam regnis ignominiam tuam*.³⁹ Hinc est quod dicit Ecclesiasticus: *Non confundaris dicere uerum pro anima tua*,⁴⁰ id est, non confusione supereris sicut illi qui pro pudore renuunt confiteri. Sine enim uera confessione omnia pereunt. Vnde primo Machabeorum ix: *Iudas cecidit*, id est confessio, *et ceteri fugerunt*, id est cetera uirtutes et cetera bona opera perierunt.⁴¹ Bonum est igitur confiteri, nam erubescencia est quedam pars satisfaccionis et eciam per ipsam confunditur diabolus.

[14] Nam cum homo erubescit pulcrior fit et illa pulcritudo exterior est sacramentum, id est signum interioris pulcritudinis anime qua placet Deo. Quod intelligens diabolus miserabiliter inuidia torquetur et quasi dissoluitur. Vnde *Iudith filia Merari in specie faciei sue dissoluit Olofernem*.⁴² Iudith interpretatur confessio, Merari amaritudo.⁴³ Iudith ergo est filia Merari quando uera confessio a contricione procedit. Que in pulcritudine ex uerecundia prouenienti dissoluit Olofernem, id est diabolus.

³⁵ Apoc 2:17

³⁶ Cf. I Cor 14:25

³⁷ Eph 5:13

³⁸ Cf. I Reg 15

³⁹ Nah 3:5

⁴⁰ Eccli 4:24

⁴¹ I Mach 9:18

[15] Postquam autem fuit clara dies oportet in ea laborare; is enim est rectus ordo.

Nam qui uidere non potest, desperari impeditur. Quid est ergo quod multi nondum luce contricionis uel confessionis illuminati faciunt opera penitencie, quasi essent in die cum tamen sicut in tenebris? De istis dicit Iob xxiiii: *Sic in tenebris quasi in luce ambulant.*⁴⁴

Post confessionem igitur debemus dignos fructus penitencie agere:⁴⁵ uigilare, disciplinas accipere, orare, ieiunare. Set non solum uenter et gula // fol. 83ra // ieiunare debent, set etiam cetera membra si peccauerant. Hoc est quod dicit beatus Bernardus: 'Si sola gula peccauit, sola gula ieiunet, et sufficit. Si uero peccauerunt cetera membra, cetera non et ipsa ieiunent?'⁴⁶ Ieiunet ergo oculus a curiosis aspectibus, auris a fabulis et rumoribus, lingua a uerbis detractoriis et adulatoriis ociosis et uanis, manus ab illicitis tactibus, pedes ab inutilibus discursibus, anima a prauis cogitacionibus et malis uoluntatibus.⁴⁷

[16] Set dicet aliquis quod hoc est difficile, quod bene concedo, nisi esset in meliori societate et ideo dicit beatus Bernardus: 'Periculosum est si forte uelit quis inter seculi turbas penitenciam agere, ubi nimirum alii uenenatis persuasionibus¹, alii undique exemplis peioribus ad peccatum alliciunt, alii adulacionibus in uanam gloriam, alii detraccionibus in impacienciam animum eius deiciunt.'⁴⁸ Verumtamen ad minus necesse est ut anima nostra a prauis uoluntatibus se abstineat et ieiunet; sine enim hoc ieiunio cetera a Domino reprobantur. Vnde Ysaias lviii: *Ecce in die ieiunii uestri inuenietur uoluntas uestra,*⁴⁹ et post parum subiungit: *Nunquid tale est ieiunium quod elegi, quasi diceret non.*⁵⁰

⁴² Iudith 16:8

⁴³ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 67, 69)

⁴⁴ Iob 24:17

⁴⁵ Cf. Luc 3:8

⁴⁶ Bernardus, *Sermones de Quadragesima*, 3.4 (*Opera*, IV, 367)

⁴⁷ Ieiunet ... uoluntatibus] cf. ibid.

⁴⁸ Bernardus, *Sermones in circumcissione Domini*, 3.6 (*Opera*, IV, 286)

⁴⁹ Isa 58:3; Verumtamen ... uestra] cf. ibid.

⁵⁰ Isa 58:5

[17] Item dies omnibus est communis quantum est de se. Vnde Iob xxxvii: *Lumen illius super omnes terminos terre.*⁵¹ *Facit enim solem suum oriri super bonos et malos,*⁵² quasi diceret: a lumine uel die penitencie nullus debet excipi. Nullus ergo sit qui se a calore huius diei abscondat; multi tamen se abscondunt ab hac luce. Quidam enim sub terra ut delicati, terrenis uoluptatibus dediti. Isti sunt similes talpe qui super terram in luce diei diu non potest durare; sic nec isti, nisi deliciis inuoluantur. Vnde si forte alia penitencia parua eis iniungatur, dicunt se non posse sustinere, immo dicunt quod morerentur, si tantam agerent penitenciam. De talibus Iob xxiiii: *Si apparuerit aurora arbitrantur umbram mortis.*⁵³ Aurora uero que modicam lucem diei habet aliquantulam penitenciam significat. Isti sunt molles qui regnum Dei non possidebunt et si non regnum Dei, per consequens regnum diaboli. Immo diabolus possidebit eos quia erunt ei cibus, unde Ieremias li: *Comedit me rex Babilonis Nabugodonosor et repleuit uentrem suum teneritudine mea.*⁵⁴ Babilon interpretatur diabolus et significat infernum cuius rex est diabolus.

[18] Item alii abscondunt se in lecto sicut pigri et accidiosi, unde in Prouerbis: *Sicut hostium uertitur in cardine sic piger in lectulo.*⁵⁵ Item quidam abscondunt se in foueis sicut luxuriosi, unde in Prouerbiis xviii: *Fouea profunda meretrix et puteus angustus aliena.*⁵⁶ Item quidam abscondunt se in archa sicut auari. Nam in archa sunt diuicie et thesauri eius et *ubi thesaurus ibi et cor,* sicut habetis in euuangelio.⁵⁷ Isti uero et omnes

⁵¹ Iob 37:3

⁵² Matt 5:45

⁵³ Iob 24:17

⁵⁴ Ier 51:34

⁵⁵ Prou 26:14

⁵⁶ Prou 23:27

⁵⁷ Matt 6:21; Luc 12:34

consimiles diligunt tenebras magis quam lucem, et ideo merito *ligatis manibus et pedibus, proicite in tenebras exteriores*.⁵⁸

[19] Item sunt et alii qui, quamuis in feruore diei ambulare nolunt, tamen contra uesperam aliquomodo se mouere temptant. Isti sunt qui totam iuuentutem suam in seruicio diaboli expendunt, tamen in fine uite sue penitenciam agere quamcumque incipiunt. Contra tales dicit beatus Bernardus: ‘Errant plane qui paucissimos dies ad penitenciam sufficere credunt, cum sit totum tempus huius uite non nisi ad penitenciam institutum’.⁵⁹ Et beatus Augustinus: ‘Cum totum tempus uite nostre Deo debeamus quomodo in fine totum persoluemus?’, quasi diceret nullo modo.⁶⁰ Isti sunt similes potantibus ad weseil sicienti cum nichil est in ciphō.

[20] Item sunt alii sapientes qui ad modum minutorum [qui] clausi sunt in camera et fenestras obstruunt ne lux nimia^m intrat ad eos. Isti sunt qui in feruore diei ambulare nolunt, cum tamen scriptum sit de Abraham quod *in feruore diei apparuit ei Dominus* (Gen xviii).⁶¹ Tamen qui aliquantulam penitenciam agunt, a maioribus peccatis se abstinentes, credunt se esse iustos et uere penitentes, cum tamen non sint. Hinc est quod dicit beatus Gregorius: ‘Sunt quidam qui nichil uirtutis agere student, set tamen cum aliosⁿ peccare conspiciunt, <iustos se> in eorum comparacione suspicantur’.⁶² Huic consonat quod dicitur in Prouerbis: *Est uia que uidetur homini recta et nouissima eius ducunt ad mortem*.⁶³ Ideo qui se rectum putat regule recte se iungat et sic percipere poterit si uita eius sit recta uel non.

[21] Scimus autem quod uita Christi et sanctorum eius fuit recta. Quare si eorum uite nostram uitam uel penitenciam iungamus comparando, inueniemus curuitatem ubi nunc

⁵⁸ Cf. Matt 22:13

⁵⁹ Bernardus, *Sermones de Quadragesima*, 3.3 (*Opera*, IV, 366)

⁶⁰ *non inu*

⁶¹ Gen 18:1

⁶² Gregorius, *Moralia in Iob*, 3.31 (CCSL 143, 153)

credimus rectitudinem? Hinc est quod dicit beatus Gregorius: 'Sepe lignum rectum creditur, si ad regulam non ducitur; set si regule iungatur, secundum quandam tortitudinem tumescere inuenitur.'⁶⁴ Sic si comparemus penitenciam nostram ad eorum penitenciam, erit nostra sicut umbra respectu penitencie illorum. Hinc est quod dicit Iob viii: *Inuestiga patrum memoriam, quoniam sicut umbra dies nostri super terram; ipsi docebunt te.*⁶⁵ Huic consonat quod dicit Ieremias vi: *Interroga de semitis antiquis que sit uia bona.*⁶⁶

[22] O Domine Deus, *si lumen et dies umbra et tenebre sunt, ipse tenebre quante erunt?* (Math v).⁶⁷ Fratres karissimi, *nolite decipere animas uestras,*⁶⁸ set *fugite, saluate eas,*⁶⁹ sicut dicit Ieremias. Et tolli- // fol. 83rb // -te crucem tuam et sequimini Christum.⁷⁰ *Quia per multas tribulaciones oportet nos intrare in regnum celorum.*⁷¹ Nec dicatis eciam quod hoc solum dictum sit perfectis, sicut dicunt quidam querentes solacium impericie sue, immo omnibus dictum est. Quod patet per illud Iudith^o viii: *Pater noster Abraham temptatus est et per multas tribulaciones probatus amicus Dei effectus est. Sic Ysaac et Iacob sic Moyses et sic omnes qui Domino placuerunt. Per multas tribulaciones transierunt fideles.*⁷² Huic consonat quod dicitur in Prouerbiis: *Omnes dies pauperis mali,*⁷³ et constat quod intelligitur^p de paupere spiritu; set pauper spiritu et beatus conuertuntur. Igitur omnes dies beatorum mali; hinc est quod quidam

⁶³ Prou 16:25

⁶⁴ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.37 (CCSL 143, 267)

⁶⁵ Cf. Iob 8:8-10

⁶⁶ Ier 6:16

⁶⁷ Matt 6:23

⁶⁸ Ier 37:8

⁶⁹ Ier 48:6

⁷⁰ Cf. Marc 8:34; Matt 16:24; Luc 9:23

⁷¹ Act 14:21

⁷² Iudith 8:22-23

⁷³ Prou 15:15

sanctus ut dicitur. Augustinus dixit quod illa die oblitus est eius Deus qua non misit ei aliquam tribulacionem.⁷⁴

[23] O Domine Deus, si mali sunt omnes dies electorum, quales erunt dies reproborum proculdubio pessimi, unde in Prouerbiis: *Si iustus in terra recipit tribulaciones, quanto magis impius et peccator?*⁷⁵ Et Ysaïas xxii: *Super humum populi mei spine et uepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii?*⁷⁶ Et quasi illud exponens, Gregorius ait, ‘Hinc unusquisque consideret que peccantibus et postmodum flagella maneant, si eciam iustos^q tam ualida hic flagella castigant’.⁷⁷ Hinc Paulus ad Tessalonicenses ait: *Gloriamur pro paciencia et fide in omnibus tribulacionibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicii.*⁷⁸ Quasi diceret, sicut exponit Gregorius: ‘Dum tot dura tolleratis, qui tam recta agitis, quid aliud quam iusti Dei iudicii exempla^f datis? Quia ex uestra pena colligendum est^s quomodo fiet quibus irascitur, si sic uos affligi patitur, in quibus letatur.’⁷⁹ Hoc autem intelligens psalmista ait, *Ego ad flagella paratus,*⁸⁰ et Iob: *Hec mihi sit consolacio ut affligens me dolore non parcat,*⁸¹ quasi diceret ‘quia hic quibusdam parcat, ut eos in perpetuum feriat, ideo hoc me non parcendo flagellat, ut in perpetuum parcat’,⁸² sicut exposuit Gregorius.

[24] Set forte dicet delicatus, ‘Que est fortitudo mea?’; ait, ‘Pondus et hestum diei sanctorum portare nunquid fortitudo mea? Nunquid caro mea enea est ut penitenciam sanctorum sustineam?’ Karissimi, etsi estum diei eorum sustinere non poterimus, saltem uestigia eorum sequentes in umbra uersus eorum patriam ambulemus. Vmbra autem rei

⁷⁴ non inu

⁷⁵ Prou 11:31

⁷⁶ recte Isa 32:13

⁷⁷ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, 233)

⁷⁸ II Thess 1:4-5; cf. ibid.

⁷⁹ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, 233)

⁸⁰ Ps 37:18

⁸¹ Iob 6:10

⁸² Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.19 (CCSL 143, 348)

est eius quodammodo similitudo, in umbra ergo eorum ambulare est qualitercumque penitenciam sanctorum penitencie similem pro modulo nostro agere.

[25] Verumtamen sancti fuerunt ita teneri sicut et nos sumus. Qualiter ergo fuerunt, ita fortes, si dicas quod per gratiam Dei uerum est. *Set nunquid abreuiata est manus Domini ut saluare nequeat uel agrauata est auris^t eius ut non exaudiat.*⁸³ Non utique *set iniquitates uestre diuiserunt inter uos et Deum et peccata uestra absconderunt faciem eius*, id est gratiam suam, *a uobis*, ut dicit Ysaïas xli.⁸⁴ Quod ergo non habemus fortitudinem sanctorum sustinendi tot tanta nobis imputandum est.

[26] Verumtamen satis fortes sumus ad difficilima inutilia perpetranda. Nonne multi ‘currunt et discurrunt per sepes et semitas, ascendunt montes et transeunt colles, et exponunt se uentis ymbribus et fluctibus, querelant, preliantur et litigant et his^u multis cruciatibus mundanis affliguntur ut opes congregent, honores adquirant et potestates extendant’?⁸⁵ Nonne hic magnus labor et sollicitudo igitur mirabilis fortitudo, propter hoc dicit Gregorius: ‘Reprobi fortes sunt, qui ad presentis uite concupiscenciam tot laboribus currunt, periculis audacter se obiciunt, pro lucris libenter contumelias ferunt, ab appetitus sui liberalitate uel libidine nulla uicti contrarietate resiliunt, percussionibus durescunt, et mala mundi tollerant pro mundo, eiusque gaudia querentes perdunt, nec tamen hec perdendo fatigantur?’⁸⁶ Quare? Quia spe uanitatis et aure popularis refficiuntur. Vnde amor proprie excellencie et uoluptatis mundane cum spe acquirendi facit eos omnia fortiter sufferre.

[27] Tales sunt similes Sychen qui admauerat Dinam ita quod circumcidit se^v propter eam manipulos suos.⁸⁷ Dina interpretatur causa hec⁸⁸ et significat amorem

⁸³ Isa 59:1

⁸⁴ Isa 59:2

⁸⁵ Innocentius III, *De miseria humane conditionis*, 1.13 (ed. Maccarrone, 18-19)

⁸⁶ Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.21 (CCSL 143, 350)

⁸⁷ Cf. Gen 34

proprie excellencie. Sichen interpretatur labor uel humerus⁸⁹ et significat illos qui labori subponunt humeros propter causam hanc, id est propter auram^w popularem que per Dinam significatur. Si ergo tales uigilant et ad crucibolum sedeant, si legant, si disputent et ita de aliis ex quo infatuauit eos uanitas et aura popularis querenti, quare hoc faciant? Potest responderi causa hec. Talis est filius Emor qui interpretatur asinus,⁹⁰ id est filius asini, ergo et asinus stultus et stolidus et asinarie laborans quia pro uento popularis aure commutans mercedem uite eterne. Et si tantum laborent in seruicio Dei, martiribus possent adequari. Nunc autem talis labor est pene et non penitencie; affligit et non purgat, unde Ecclesiasticus: *Labor stultorum affliget eos.*⁹¹ Et notandum quod Sychen propter Dinam interfectus est.

[28] Quid ergo talibus est faciendum? Oportet conuertere illum amorem ad summum bonum et spem transitorii boni mutare in spem eterni premii et, mutata spe, per consequens mutabitur fortitudo, unde Ysaias: *Qui confidunt in Dominum mutabunt fortitudinem.*⁹² Et erit tunc Dominus fortitudo tua firmamentum et refugium // fol. 83va // tuum.⁹³ Quid ergo erit quod facere non poteris? Nichil utique quia si tantum refficit spes transitorii boni, tot et tanta propter illud quis sufferre potest, quantum refficit^x et spes eterni gaudii? Si tantum refficit spes fallax et uana, quantum reficiet spes uerax et plena? Certe in tantum refficit electos et fortes facit quod omnia tribulacionum pondera pro Christo sufferre possunt et que prius fuerunt eis amara, nunc sunt delectabilia. Vnde Iob: *Que prius tangere nolebat anima mea nunc pre angustia cibi^y mei sunt,*⁹⁴ quia penas 'quas dudum timuerat iam pro celestis patrie amore amat. Si enim mens in Deum

⁸⁸ Isidorus, *Etymologiae*, 7.6.38 (PL 82, 277)

⁸⁹ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 71-72)

⁹⁰ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 65)

⁹¹ *recte* Eccle 10:15

⁹² Isa 40:31

⁹³ Cf. Ps 17:3; Ps 70:3

⁹⁴ Iob 6:7

forti intencione dirigatur, quicquid sibi in hac uita amarum fit, dulce reputat, omne quod affligit requiem putat', ut dicit Gregorius.⁹⁵ Verum est igitur quicquid dicant delicati quod *Iugum Domini suaue est et honus suum leue.*⁹⁶

[29] Oriatur igitur nobis dies penitencie per cordis contricionem et procedat usque ad perfectam et claram diem per occultorum confessionem et postea^z laboremus per bonorum operum satisfactionem, et hoc usque ad uesperam. Nam ad uesperam solet reddi merces laboris, unde in Matheo xx: *Cum sero factum esset, dicit Dominus procuratori suo uinee: uoca operarios et redde illis mercedem suam.*⁹⁷ Vespera autem est finis uite nostre quando cessabit labor noster, planctus et luctus. *Ad uesperam enim demorabitur fletus,*⁹⁸ et tunc absterget Dominus omnem lacrimam ab oculis sanctorum.⁹⁹ 'O quam felices lacrimae quas pia manus saluatoris absterget', ut dicit Bernardus.¹⁰⁰ Merito igitur dicitur penitencia dies salutis, quia ad ueram salutem perducit, ad quam nos perducatur, qui sine fine uiuit et regnat.

⁹⁵ Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.15 (CCSL 143, 346)

⁹⁶ Matt 11:30

⁹⁷ Matt 20:8

⁹⁸ Ps 29:6

⁹⁹ Apoc 21:4

¹⁰⁰ Cf. Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu*, 34.40 (PL 184, 459)

-
- ^a qui] *add. in ms*
^b est *expung. in ms*
^c displicet] dispicet *ms*
^d desplicebunt] despicebunt *ms*
^e presentem] pesentem *ms*
^f sudor] *corr. ex sodor*
^g iungere] iugere *ms*
^h scit] sit *ms*
ⁱ accedete] *corr. ex accede*
^j illuminamini] *corr. ex illuminam*
^k hic] *corr. ex his*
^l persuasionibus] persuasonibus *ms*
^m nimia] *corr. ex minima*
ⁿ alios] *corr. ex aliis*
^o Iudith] Iudiht *ms*
^p intelligitur] intelligit *ms*
^q iustos] iustorum *ms*
^r exempla] eius *ms*
^s colligendum est] colligeri *ms*
^t auris] *corr. ex aris*
^u his] huius *ms*
^v se] *add. in ms*
^w auram] aurem *ms*
^x refficit] reffici *ms*
^y cibi] tibi *ms*
^z postea] post mea *ms*

T23 Cum appropinquasset Ihesus Iherico

fol. 83va-83vb

*Cum appropinquasset Ihesus Iherico et cetera.*¹

[1] *Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non habeam, factus sum uelut es sonans aut cymbalum et cetera.*² Notandum quod sicut es uelut cymbalum non sonat nisi ex alterius impulsione, sic predicator per se non loquitur set per spiritum sanctum. Vnde in euuangelio: *Non enim uos estis qui loquimini set spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.*³ Cum ergo per nos nichil boni possimus agere, oremus ipsum a quo sunt omnia bona ut gratiam suam nobis conferre dignetur Pater noster.

[2] *Cum appropinquasset Ihesus Iherico et cetera.* Karissimi quatuor nobis maxime comendantur in hoc euuangelio, scilicet magna Dei misericordia, iusticia, potencia ac fides nostra. Notatur magna Dei misericordia per hoc quod ipse Dominus et rex omnium regum dignabatur cecum respicere. Item notatur et eius magna iusticia per hoc quod dixit ceco: *'Quid uis ut tibi faciam'*.⁴ Item notatur et eius magna potencia per hoc quod ceco dixit, *'Respice'*. Item notatur et fides nostra per hoc quod dixit ceco: *Fides tua te saluum fecit.*⁵

[3] Per cecum istum significatur genus humanum, amore terrenorum excecaturum ac sedens secus uiam, id est secus Christum, qui est uia, ueritas et uita ut dicitur in Iohanne.⁶

Bene cecus dicitur qui, amore temporalium obnubilatus, deum saluatorem suum uidere non

¹ Luc 18:35

² I Cor 13:1

³ Matt 10:20

⁴ Luc 18:41

⁵ Luc 18:42

⁶ Ioh 14:6

potest, nec Iherico appropinquare potest. Iherico autem lumen interpretatur, quod etiam cecus ut predictum est uidere non potest.

[4] Set sunt quidam qui supra modum lumen istud quod est sol iusticie inspiciunt et sic excecantur, ut illi qui supra modum solem inspiciunt et hoc prouenit debilitate oculorum quorum natura non potest extendere se ad solis interiora inspiciendum. Vt sunt illi qui cum sint humane nature nec angelice, secreta diuinitatis perscrutantur et sic, uolentes transgredi terminos qui patres nostri nobis posuerunt, lumine solis, id est diuinitatis, excecantur, unde *Illud terminum posuerunt quem non transgredientur et cetera.*⁷

[5] Item sunt et alii qui cum deberent solem inspicere, uelamen oculis suis inponunt, ne solem uideant; ut sunt prelati qui sacram scripturam deberent intelligere ut susceptam curam melius ualere explere set potius scienciam lucratiuam appetunt. De quibus Ysaias: *Obscurentur oculi eorum ne uideant et cetera.*⁸ Item sunt et alii qui nolunt solem uidere, terga sua uersus solem uertunt^a. Vt sunt illi qui uerbum Dei audiunt set non operantur secundum illud, set uertunt terga^b quasi non audientes. De quibus Dominus: *Sicut uerterunt scapulam et me noluerunt audire, clamabunt ad me nec illos exaudiam.*⁹ Set qualiter debent uerum solem inspicere et qualiter debeant agere, docet Ysaias dicens: *Auferte uelamen a cordibus nostris, quiescite peruerse agere, addiscite que bona sunt agere.*¹⁰

[6] Item quidam perdunt lumen per puluerem cadentem in oculis, sicut illi qui delectantur in rebus terrenis qui non sunt nisi ad modum puluis qui uento hinc tamen agittatur nisi iterum locum optinet. Set qui sic puluere excitantur, medicamenta accipiunt quam docet beatus Iob et apponant oculis suis et uident illa scilicet, *Memento homo quia*

⁷ Ps 103:9

⁸ Cf. Isa 44:18; Isa 6:10

⁹ Cf. Zach 7:11-13

¹⁰ Cf. Isa 1:16-17

*cinis es et in cinerem reuerteris.*¹¹ Apposita ista medicina^c oculis corde, eicietur puluis rerum temporalium et uisum recipient. Sunt et alii qui excecantur stercore auium cadente in oculis ut Cobias orat excecatus. Vt sunt illi qui exemplum malorum prelatorum qui ut aues per bonam doctrinam uolare deberent, capiuntur et peruerse agentes excecati sunt. Set debent oculis suis apponere fel piscis,¹² ut Cobias fecit et lani efficientur, id est memoriam debent habere de amaritu- // fol 83vb // -dine passionis Christi qui bene felli comparatur.

[7] Item sunt et alii qui propter delicta sua propria excecantur. Sic et nos propter peccatum nostrum sumus excecati et lumen amittimus, id est Christum, qui illuminat omnem hominem uenientem ad se.¹³ Set quia nunc transit, Ihesus appropinquat^d Iherico et nos sumus secus uiam et hiis supradictis modis sumus excecati, debemus ad ipsum clamare ut cecus clamauit et petere ut lumen ueritatis nobis conferat. Nec debet increpare turba precedens ut cecum increpauit, id est turba carnalium cogitacionum que increpauit nos huc usque ne clamaremus ad Ihesum. Set nec perteriti increpacione turbe, clamemus ad eum ut oculos cordis interiores illuminet et possimus ipsum cum gaudio cernere cui est honor et cetera.

^a uertunt] utunt *ms*

^b terga] terra *ms*

^c medicina] medicia *ms*

^d appropinquat] appropinquant *ms*

¹¹ Cf. Iob 10:9; Gen 3:19

¹² Cf. Tob 11:13

¹³ Cf. Ioh 1:9

T24 Clama ne cesses

fol. 84vb-85ra

*Clama ne cesses quasi tuba exalta uocem tuam.*¹

[1] Qui clausus est in carcere libenter clamat et petit liberari. De triplici carcere legitur in sacra scriptura: primus est presentis uite, scilicet mundus; secundus est culpe; tercius est iehenne. In carcere materiali sunt tenebre, fames et sitis, sic in carcere presentis uite, et in carcere culpe et in carcere iehenne.

[2] In carcere presentis uite, scilicet in mundo, sunt tenebre ignorancie, secundum quod dicit Iob: *In calle meo tenebras posui et transire non possum.*² Sunt eciam fames et sitis, ita eciam quod maiores deuorant minores, unde Ecclesiasticus: *Venacio leonis onager in heremo, sic et pauperes pascua diuitum.*³ Diuites autem comparantur leoni propter potestatem et rapacitatem, unde in Prouerbiis, quasi *leo rugiens^a et ursus esuriens impius super populum.*⁴ Onager asinus est siluester; hii sunt pauperes qui simplices sunt et sunt hic quasi in heremo. Sunt et in hoc carcere uincula sicut dicit psalmista: *Laqueus contritus est et nos liberati sumus.*⁵ De hoc carcere dicit psalmista: *Educ de carcere animam meam.*⁶

[3] Item est carcere culpe in quo sepe captiuatur anima et comparatur carceri materiali propter obscuritatem. Sunt et in eo tenebre, unde apostolus: *Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino.*⁷ Sunt et in eo fames et sitis cupiditatis; sunt eciam et uincula peccatorum. Peccatum enim hominem ligat, quia dicit Salomon: *Vnusquisque*

¹ Isa 58:1

² Iob 19:8

³ Eccli 13:23

⁴ Prou 28:15

⁵ Ps 123:7

⁶ Cf. Ps 141:8

⁷ Eph 5:8

uinculis peccatorum suorum constringitur.⁸ Et psalmista: *Dirupisti uincula mea et cetera.*⁹ Et Ysaïas: *Solue uincula colli tui captiua filia Syon.*¹⁰ Filia Syon captiua peccatis, solue per ueram penitenciam uincula // fol. 85ra // colli tui, scilicet peccata.

[4] Item est carcer iehenne et est de Domino, sicut de imperatore tereno. Imperator enim terrenus duo habet genera carceris: unum quod si semel ingreditur, nunquam nisi mortuus uel morti addictus inde exiget; alterum quod qui ingreditur poterit exire. Sic imperator noster Christus habet carcerem uite presentis et culpe a quo qui illud ingreditur poterit exire. Habet et alium carcerem, uidelicet iehenne, quod qui semel ingreditur, nunquam poterit inde exire, sicut legitur in euuangelio: *Non exibis inde donec reddas nouissimum quadrantem,*¹¹ id est nunquam exibis.

[5] In hoc autem carcere sunt tenebre, unde in euuangelio: *Mitte eum in tenebras exteriores.*¹² Sunt et ibi fames et sitis, unde Ysaïas: *Serui mei comedent et uos esurietis; serui mei bibent et uos sicietis.*¹³ Sunt et ibi uincula, unde in euuangelio: *Ligatis manibus et pedibus, proicite eum in tenebras exteriores.*¹⁴ Bene dicit 'ligatis manibus et pedibus', quia non solum non potest bene^b set nec agere eciam uoluntatem bene operandi habere, unde Ysaïas: *Claudentur impii in carcere et post multos dies, in die iudicii, uisitabuntur.*¹⁵ Set eorum uisitacio grauissima quando dicet eis Dominus, '*Ite maledicti in ignem eternum*'.¹⁶ In primo carcere, scilicet presentis uite, omnes detenti sumus et grauiter afflicti; in secundo eciam carcere, scilicet culpe, multociens detenti sumus.

⁸ Cf. Prou 5:22

⁹ Ps 115:16

¹⁰ Isa 52:2

¹¹ Matt 5:26

¹² Cf. Matt 22:13

¹³ Isa 65:13

¹⁴ Matt 22:13

¹⁵ Isa 24:22

¹⁶ Cf. Matt 25:41

[6] Ideo bene dicit Ysaïas: *Clama in corde*, scilicet cum Susanna, ut legitur in fine Danielis¹⁷ et cum Moyse quorum utrumque tacens clamavit. Ita et nos tacentes clamare debemus; hoc est uera contricione et non ad tempus set continue, unde subdit, *ne cesses*. Debemus esse in tinno^c dolore et penitencia pro peccatis ut, sicut columba, gemitum pro cantu habeamus. Et non tantum clamandum est corde, set eciam ore, ut contricionem sequitur confessio, unde subiungit, *quasi tuba exalta uocem tuam*,¹⁸ in confessione, scilicet.

[7] Hec est tuba regia in qua rex noster Christus delectatur. Hec est tuba Gedeonis que dixit populo Isreli, ‘Accipite tubas in manibus dextris et lagenas uacuas in manibus sinistris, et fringite lagenas uestras et sic terrebuntur hostes nostri’.¹⁹ Hec est tuba confessionis quam accipere debemus in satisfactione operis, et non in manibus sinistris, set in manibus dextris; ut que facimus non pro terrenis, ut ypocrite, set pro eternis ea faciamus, et lagenas uacuas in manibus sinistris, ut eterna temporalibus et carnalibus desideriis proferimus, et lagenas confringere debemus, id est carnem nostram macerando, unde apostolus: *Castigo corpus meum et cetera*.²⁰

[8] Ideo bene dicit Ysaïas: *Clama ne cesses quasi tuba exalta uocem tuam*. Hoc est quod dicit hec psalmista: *Clamaui in toto corde et cetera*.²¹ Attendens enim psalmista quod hic incarcerati et grauiter afflicti sumus, unde in alio psalmo dicit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei et cetera*.²² Et ideo necessarium fore clamare ait: *Clamaui in toto corde*. Bene ergo premittitur huic octonario litera coph que interpretatur inclusio quia qui in hoc carcere predicto includitur, clamare habet oportunum.

¹⁷ Cf. Dan 13

¹⁸ Isa 58:1

¹⁹ Cf. Iud 7:16-21

²⁰ I Cor 9:27

²¹ Ps 118:145

²² Ps 118:136

^a ruiens] ruiens *ms*

^b eciam *expung. in ms*

^c tinno] *corr. ex otinno*

T26 Ego flos campi**fol. 85rb-va***Ego flos campi et lilium conuallium.*¹

[1] Verba sunt Salomonis sub persona Christi loquentis quod Christus flos erat in passione, lilium autem in resurrectione. Flos autem campi Caluarie in quo campo diabolum deuicit. Flori uelud Christus comparatur hiis rationibus: flos suauitatem habet; de quo autem scriptum est: *Gustate et uidete quoniam suavis est Dominus.*² Quia si quis consideret delicta sua et peccata et postea conferat ad uniuersitatem misericordie Dei magnam, inueniet in eo suauitatem. Ita namque est de Domino nostro et uobis sicut de duobus sociis inter se discordantibus. Si enim ille qui pertulit et sustulit iniuriam et opprobrium ab inferente misericordiam petat, magna est benignitas; eodem modo Dominus noster. Cum enim tota die v nostris sensibus peccando Domini ostendimus, ipse enim benignissimus ad seruicium suum nos uocat dicens: *Venite ad me* et cetera.³

[2] Item flos bonum habet odorem. Sic Christus dulcorem omnium uirtutum et nominis sui et fame fidei que per uniuersum orbem iam dilatatur. Item infirmus qui florem respicit, recreationem inde percipit. Infirmus est peccator qui est in mortali peccato. Vnde dicit Gregorius super Matheum quia non pauciores morbi infestant animam quam corpus.⁴ Qui ergo infirmus est, respiciat Christum et conualescet, quia sic fecit Petrus qui postquam

¹ Cant 2:1

² Ps 33:9

³ Matt 11:28

⁴ Cf. Gregorius, *Expositio in septem psalmos poenitentiales*, 2.3 (PL 79, 560)

negauerat Deum et Deus eum respexerat, respexit statim Deum, egressus fleuit amare et ita conualuit de infirmitate sua.⁵

[3] Item florem subsequitur fructus et iste flos, id est Christus, preciosum nobis pertulit fructus apersionem, scilicet ianue regni celestis et redemcionem humani generis.

[4] Item flos a terra eleuatur et iste flos a simili eleuatus ita fuit in ascensione, quod non potest ad eum attingere^a nisi per uirgam quia filius Dei iam regnans in celo sedet ad dexteram uirtutis Dei. Valde ergo eleuatus est iste flos; set que est hec uirga per quam possumus ad eum attingere ita eleuatum? Hec est uirga de qua dicit Ysaias: *Egredietur uirga de radice Iesse* et cetera.⁶ Hec est uirgo beata, scilicet mater Domini nostri Ihesu Christi per cuius preces et auxilia poterimus ad Christum peruenire. Illius ergo auxilium debemus incessanter petere ut peruenire ad eternam gloriam possimus.

[5] Legitur quod quedam sanctimonialis et uirgo cottidie in orationibus suis in honore beate uirginis dicebat quinquies gaude. Contigit autem quod hec infirmabatur et infirmitate grauaretur magnos // fol. 85va // planctus et gemitus emisit quia nesciuit quo itura esset. Ad quam ueniens beata uirga ait, 'Quare ita tristis es?' Que respondit, 'Quia infirmitate grauor et nescio quo itura sum'. Cui domina, 'Sepius dixisti ut gauderem, nolo ut tu doleas, set gaude potius quia ad gaudium ibis'.

[6] Dico ergo quod Christus est flos. Quereri potest cuiusmodi flos? Dico quod quasi rosa in passione. Rose proprietates quedam sunt hee naturaliter frigida et tum rubea. Item de rosa fit aqua preciosa uiuissima et oculis infirmorum efficacissima. Hec ergo rosa Christus erat quasi frigida in morte et postquam fuit tincta diuinitas carni, nunquam eam reliquit et

⁵ Cf. Luc 22

⁶ Isa 11:1

cum quamuis ita quasi frigida et tum rubea. Quia postquam mortuus, accessit quidam miles *et lancea latus eius aperuit et exiuit sanguine et aqua.*⁷ Erat hec rosa uere rubea, id est proprio sanguine rubricata. Ex rosa fit aqua nimis utilis oculis infirmorum. Hec aqua est lacrima que spiritualibus oculis nimis prodest quia que^b bene et perfecte et memoriter ducit ad memoriam passionis^c et mortis^d Ihesu Christi. Lacrime tamen prouenient que oculis ualde sunt utiles. Vnde Ambrosius: ‘Sermo de passione Domini acrior est ad flendum, amarior ad comouendum. Ita enim audiamus Deum ieiunasse, uapulasse, lacrimasse plus iusto temporalium uoluptatum quam luto amarioris sermonis temperamus.’⁸

[7] Fuit ergo rosa Christus in passione, lilium in resurrectione. De lilio uero ita est quod in terra humili et in cultu et in uallibus nascitur. Sic ergo ex humili uirgine et sine uirili cultu nascebatur, beata namque uirgo iuxtam habuit humilitatem, unde ergo humilis erat. Item lilium inter spinas crescit et a spinis pungitur; tamen spinas superat et spiritualiter Christus super Iudeos qui quasi spine eum pungebant dum coronam spineam capiti eius inponebant, dum colafis ceciderunt, set superauit spinas et uicit inimicos.

[8] Vicit et diabolum set alia est ratio que ad diem resurrectionis species dat. Lilium quoque septem habet flores. Flos autem vi folia et habet florem desuper in medio. Sic in die resurrectionis sue quasi vii habuit flores, id est vii dotes corporis glorificati, secundum Anselmum, quas vii dotes omnes saluandi post resurrectionem generalem habebunt, qui sunt pulcritudo, agilitas, subtilitas, libertas, salus continua, delectabilitas, diuturnitas.⁹

[9] Pulcritudo et de Christo dictum est per Ysaïam: *Vidimus eum cum non habentem speciem neque decorem;*¹⁰ hoc scilicet in passione, set qualis erat in resurrectione in corpus

⁷ Ioh 19:34

⁸ Ambrosius, *Expositio euangelii secundum Lucam*, 7, 182 (CCSL 14, I. 1993)

⁹ non inu

¹⁰ Cf Isa 53:2

eius ui^o corporali splendidius erat sole. Ex hoc eciam corpore glorificato dicit philosophus in libro Sapiencie: *Fulgebunt iusti et tanquam scintille in arundineto discurrant.*¹¹ Dicit ergo Dominus per Ysaïam: *Quia septempliciter sicut sol lucidum erat corpus glorificatum.*¹² Ita quod si omnes muri in mundo essent unus murus, per medium omnium transiret.

[10] Item libertas de quo dicit Paulus: *Creatura Dei liberabitur a seruitute corrupcionis in libertate glorie filiorum Dei.*¹³ Ista autem libertas erit incorruptibilitas, corpus autem Christi corruptibile erat ante passionem; corruptibile, scilicet quantum ad dissolutionem. De hac corrupcione dicit Dominus per prophetam: *Que utilitas in sanguine meo dum descendo in corrupcione,*¹⁴ scilicet dissolutionis nequaquam autem putrefactionis, unde psalmista: *Non dabis sanctum tuum uidere corrupcione.*¹⁵

[11] Item salus continua, quia hic multociens infirmamur, ibi quieti erimus ab omni infirmitate. Quia Christus in hac uita famem sitim et multa huiusmodi passus fuit ante passionem suam. Ab omnibus huius quietus est quia salus iustorum perpetua erit. Item delectabilitas, et nonne magna delectabilitas in carne Christi in quem angeli delectantur prospicere? Item diurnitas, quia omnia ista in perpetuum durabunt in corpore glorificato. Hii sunt vii flores lilii; dicit ergo Dominus, *Ego sum flos campi et cetera.*¹⁶

[12] Set quid est quod dictum lilium conuallium? Per hoc intelligitur duplex humilitas, interior et exterior. Quod autem Christus erat quasi rosa in passione, lilium uero in resurrectione. Ecce auctoritas: sponsa dicit de sponso in Canticis: *Dilectus meus candidus et*

¹¹ Sap 3:7

¹² Cf Isa 30:26

¹³ Rom 8:21

¹⁴ Ps 29:10

¹⁵ Ps 15:10

¹⁶ Cant 2:1

rubicundus.¹⁷ Dominus rubicundus: ecce rubor in passione. Candidus: ecce candor filii in resurrectione. Si ergo uolumus esse sicut lilium in die iudicii et habere vii flores quos Christus habuit in suo corpore, oportet ut simus secundum doctrinam beati Petri quasi modo geniti infantes ab omni, uidelicet malo interiori et exteriori, nos obseruantes sicut pueri qui naturaliter mala nesciunt. Set quomodo uiles erimus, docet nos Petrus ita inquit: *Omnem deponentes maliciam, omnem dolum, omnem simulacionem et inuidias detractiones erimus quasi modo geniti infantes*.¹⁸ Rogemus ergo Dominum ut precibus beate uirginis cuius festa celebramus ut ipsa pro nobis intercedat apud Dominum.

^a attingere] attingi *ms*

^b que] qui *ms*

^c passionis] passionem *ms*

^d mortis] mortem *ms*

^e ui] *corr. ex in*

¹⁷ Cant 5:10

¹⁸ Cf. I Pet 2:1-2

T34 Plorabitis et flebitis

fols 104ra-105ra

*Plorabitis et flebitis uos mundus autem gaudebit.*¹

[1] Mundus autem secundum quod hic [si] uidetur non est iste mundus sensibilis scilicet celum et terra cum elementis, set magis uocat hic mundum Dominus mundi amatores qui mundus dicuntur propter maximam aglutinacionem que est inter amantem et rem amatam. In omni enim uidetur ei quod fit quasi ad ipsam. Vnde dicit Hugo: 'Ea tibi uis amoris, ut talem te necesse est, ut in eius similitudinem amoris societate transformeris'.² Vnde Osee ix: *Facti sunt sicut ea que dilexerunt.*³ Et ideo amans recipit nomen amati, ita quod anima terrena amans non solum terrena set eciam terra dicitur. Similiter mundum amans non solum mundialis, set eciam mundus dicitur. Hinc est quod dicitur *mundus eum non cognouit*,⁴ id est mundi amatores eum non cognouerunt. Similiter hic mundus, id est mundi amatores, gaudebunt set istorum quidem gaudium est erroneum, uanum, miseriis plenum, breue, ducens ad finem pessimum, quia ad fletum et dolorem eternum; primum patet per Ecclesiasten ii: *Risum reputaui errorem et gaudio dixi ex frustra deciperis.*⁵

[2] Nonne magnus error esset et summa stulticia si cuiuis rex diceret, 'Esto ibi ante diem ueneris; si ibi fueris, diuitem te faciam, si non autem, diuersis tormentis te affligam'. Si inquam cui talis condicio facta esset ligna putrida uel squamas piscium inueniens que de nocte lucent remaneret^a colligendo et prolongaret ita uiam suam pre gaudio eorum, nonne stultus esset? Esset utique. Ligna putrida sunt bona temporalia que

¹ Ioh 16:20

² Cf. Hugo de Sancto Victore, *Soliloquium de arrha anime* (PL 176, 954)

³ Cf. Os 9:10

⁴ Ioh 1:10

⁵ Eccle 2:2

tantum in nocte huius aduersitatis sunt lucencia et pueris placencia; ista igitur colligere et in eis tantum delectari, ita quod differetur iter suum uersus patriam et clausa esset ianua antequam ueniret et ita foris remaneret puniendus sine fine. Summus esset error et maxima stulticia. Hinc est quod dicitur in Prouerbiis xv: *Stulticia gaudium est.*⁶ Set attendendum est quod *parata sunt derisoribus iudicia et mallei percucientes stultorum corporibus* (Prouerbia xix).⁷

[3] Item quod mundi gaudium sit uanum patet quia, sicut dicitur in Sapiencia v, *Spes impii tanquam lanugo que a uento tollitur.*⁸ Ecce uanitas, unde Ecclesiastes i: *Vanitas uanitatum et omnia uanitas.*⁹ Spes igitur siue gaudium mundi uanum est, nam uanitas est que non prebet fulcimentum in intenti nec offert plenitudinem continenti. Talis autem est totus mundus siue gaudium tocus mundi quia in necessitate mortis mundus totus non posset ei succurrere nec sustentare. Similiter nec habet plenitudinem quia semper plus appetitur quam habetur, set gaudium spiritus sancti plenum est. Vnde Mich.: plenus est qui plenum habet spiritum sanctum quo; qui caret, nichil habet etsi totum mundum haberet;¹⁰ plenitudinem igitur continenti non aufert gaudium mundi.

[4] Propter hoc dicit ecclesia de gentibus uidens se olim deceptam: *In lectulo meo quasiui quem diligit anima mea et non inueni illum.*¹¹ Bene dicit 'lectulo', quia parua est delectacio mundi in qua non inuenitur, quia, sicut dicit Iob, *Non inuenitur in terra suauiter uiuencium.*¹² Stultum est igitur uerum gaudium et requiem querere in mundialibus quia non est ibi. Vnde Augustinus in libro de confessionibus: 'Non est requies ubi queritis eam. Querite quod queritis, set ibi non est quod queritis. Beatam

⁶ Prou 15:21

⁷ Prou 19:29

⁸ Sap 5:15

⁹ Eccle 1:2

¹⁰ non inu

¹¹ Cant 3:1

¹² Iob 28:13

uitam queritis in regione mortis; non est illic. Quomodo est ei beata uita, ubi nec uita?'¹³

Nolite ergo decipi a uanitate mundi sicut multi alii decipiuntur eo quod a longe speculantur. Hinc est quod dicitur in Prouerbiorum ultimo: *Fallax gracia et uana pulcritudo*, scilicet seculi.¹⁴

[5] Item quod gaudium mundi non sit purum set miseris permixtum patet quia, sicut legitur Sapiencia v, *Spes impii tanquam fumus qui a uento diffusus est*.¹⁵ Fumus angustat oculos et grauat; et terrena felicitas hominem angustat et execat. Et hoc exigit iustum iudicium Dei quia eo quod abutitur creaturis Dei uolens eas seruire sue libidini cum eum create sint ut seruiant diligentibus Deum, Dominus easdem in iustum flagellum [suum] eius conuertit; quia diligit hec temporalia aut habet ea aut non. Si non, torquet eum anxietas desiderii et // fol. 104rb // sollicitudo acquirendi; si habet, torquet eum timor amittendi et sollicitudo conseruandi. Hoc est quod dicit Ambrosius: Diuicie cum labore adquiruntur timore custodiuntur et dolore auferuntur.¹⁶ Ista tamen angustias et amaritudines non sentiunt. Hinc est quod dicit Gregorius v: 'In amaritudine sunt corda reproborum, quia prauis suis desideriiis affliguntur; set eandem amaritudinem nesciunt, quia pensare quod tollerant sponte sua execat non possunt'.¹⁷

[6] Item breue est gaudium mundi quia, sicut dicit in Sapiencia v, *Spes impii*, id est gloria, *tanquam memoria hospitis unius diei pretereuntis*.¹⁸ Qui cum aliquo hospitatur dum est cum eo illo die facit magnum festum, set cum recesserit, omnia sua secum feret et solum stercore equorum et huiusmodi post se delinquet^b, unde Machabeis: *Gloria impii stercus et uermes*,¹⁹ id est, ad gloriam reproborum sequitur stercus culpe et uermis

¹³ Augustinus, *Confessiones*, 4.12 (CCSL 27)

¹⁴ Prou 31:30

¹⁵ Sap 5:15

¹⁶ *non inu*

¹⁷ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.3 (CCSL 143, 220)

¹⁸ Sap 5:15

¹⁹ I Macc 2:62

pene. Bene dicit 'tanquam memoria' et cetera, quia tanquam diminutium, est uix enim perfecte aliquis unam diem deduxit iocundam; unde queritur in libro de miseria hominis: 'Quis unquam^c unam diem totam deduxit in sua delectatione iocundam, quem in aliqua parte diei reatus consciencie, uel impetus ire, uel motus concupiscencie non turbauerit? Quem liuor inuidie, uel ardor auaricie, uel timor superbie, uel aliqua iactura non commouerit? Rara auis in terris et cetera, unde Ecclesiasticus xviii: *A mane usque ad uesperam mutabitur tempus*'.²⁰ Cui est enim quod dicitur in Iob xx: *Laus impiorum breuis est et gaudium ypocrite ad instar puncti*.²¹

[7] Item hoc gaudium ducit ad luctum et ad dolorem eternum quia, sicut dicit Solomon in Prouerbiis xiiii, *Extrema gaudii luctus occupat*.²² *Ducunt enim in bono dies suos et in puncto ad inferna descendunt* (Iob xxi).²³ In dolorem ergo et luctum finitur mundi gaudium. Nam qui gaudet de re aliqua et requiescit super eam tantum potest dubitare suum et requies quantum illa res durat. Si autem deficit res de qua gaudet et super quam quiescit, necesse est gaudium et quietem deficere. Querenti^d ergo gaudium et quietem in temporalibus in morte deficit ei quies, quia tunc ei deficiunt omnia temporalia. Post mortem igitur non restat ei miseria et labor; in uanum igitur pro temporalibus cantatur 'Requiem' et ideo talibus est mors amarissima et memoria mortis amara, unde Ecclesiasticus xvi: *O mors quam amara memoria tua pacem habenti in sua substancia*.²⁴ Quia tunc cessabit omne gaudium et solum supererit miseria et dolor, unde Ysaias xxiiii: *Deserta est omnis leticia, cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus letancium, conticuit dulcedo cithare; cum gaudio non bibet; uinum amara pocio bibentibus illam*.²⁵ Qui ergo uoluerit cum mundo gaudere, preparat se ad bibendum

²⁰ Innocentius III, *De miseria humane condicionis*, 1.22 (ed. Maccarrone, p. 29); Eccli 18:26

²¹ Iob 20:5

²² Prou 14:13

²³ Iob 21:13

²⁴ Eccli 41:1

²⁵ Isa 24:8-9

amaram^e pocionem de calice furoris Domini. Hinc est quod dicit derisorie Trenos iiii:
*Gaude et letare filia Edom; ad te perueniet calix inebriaberis^f atque nudaberis.*²⁶ Tunc
 poterit dicere illud Iob xxxi: *Versa est in luctum cythara mea et organum in uocem
 flencium.*²⁷

[8] Item hoc gaudium, scilicet mundi, queritur in tribus precipue: in diuiciis, quantum ad concupiscenciam oculorum; in deliciis, quantum ad concupiscenciam carnis; in dignitatibus et honoribus, quantum ad superbiam uite.²⁸ Set in diuiciis frustra queritur cum ibi sit dolor et afflictio. Promittunt enim dominum et faciunt seruum, unde Gregorius: 'Cum enim mens concepta desideria sequitur, seruire rebus conuincitur, quarum amore superatur'.²⁹ Similiter quamuis promittant requiem, dant laborem (nisi forte obiciatis michi quod clerici habent eas cum requie et sine labore quia in labore honeranti^g non sunt clerici) quia Parisie uel^h Oxonie defertur eis habundanter argentum; uerumtamen sine labore non fuit adquisitum. Quis ergo pro eis laborauit? Christus utique in cruce et ita cantando expenditurⁱ quod ipse lacrimando magno labore exiuit; set caueant sibi ne merces mercenarii sui, scilicet Christi, maneat usque ad uesperam iudicii et sic fiant *diuicie conseruate in malum domini sui*, ut dicit Ecclesiastes.³⁰ De hac iniuria conqueritur Dominus per psalmistam dicens: *Precium meum cogitauerunt repellere,*³¹ set tales plerumque, quamuis non laborent exterius, grauiter uexantur interius. Nam sicut dicit Gregorius: 'Qui se auaricie tradit, fastidians propria, aliena concupiscit; hic // fol. 104va // plerumque concupiscita adipisci non ualens, diem^j in ocium, noctem uero in cogitacionem uersat; torpet ab utili opere, quia fatigatur illicita cogitacione; consilia multiplicat, peruenire ad concupiscita satagat, quosdam

²⁶ Thren 4:21

²⁷ Iob 30:31

²⁸ Cf. I Ioh 2:16

²⁹ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, 230)

³⁰ Eccle 5:12

³¹ Ps 61:5

secretissimos causarum meatus querit'.³² Et est similiter miluo qui circumuolat ut uideat tempus et locum quo possit aliquid prediari. De hoc miluo Ieremias viii: *Miluus in celo cognouit tempus suum*.³³ Similiter et talis circumuolat mente ut uideat quando ei aliquid deest^k cadere sicut enim miluus.

[9] [P] Tales autem sunt mali diuites eo quod sic diuiciis nimis per amorem adherent; non autem qui habent eas mali sunt quia, sicut dicit Gregorius, 'Non census set affectus in crimine est'.³⁴ Verumtamen semper timendum est, quia difficile est eas habere et non amare, set si amantur, statim in foribus aderit peccatum. Quare difficile est eas habere et non peccare; ad minus uero multas dant peccandi occasiones eciam iusto. Hinc est quod dicit Gregorius: 'Est alius qui illicita refugit, set bonis mundi carere pertimescit; concessa tenere appetit, inter homines uideri^l minor erubescit. Exquirat quid sibi sufficiat. Patronos querit quibus nunc famuletur; set hiis dum familiariter iungitur, eorum proculdubio causis implicatur, quibus consentit in illicitis. Nam sepe dum honorem suum in mundo hoc inminui^m trepidat, ea apud maiores personas approbat, que proprium iudicium dampnat'.³⁵

[10] Qui igitur securus uult esse, credat consilio Catonis: Despice diuicias si uis animo esse beatus.³⁶ Ecce magnus pudor, homo sine lege instruit homines sub lege. Quam ergo excusacionem habere poterimus gracia Domini? Vtique nullam, unde Gregorius: 'Circumscripsit nos diuina prouidencia, circumuenit excusacionem nostram; undique conclusus est aditus tergiuersacionis humane. Homo gentilis, homo sine lege, ad medium ducitur, ut eorum qui sub legeⁿ sunt prauitas confundatur, unde dicitur in Ysaia: *Erubescet Sidom, ait mare*'.³⁷

³² Gregorius, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, 201-02)

³³ Ier 8:7

³⁴ Gregorius, *Moralia in Iob*, 10.30 (CCSL 143, 572)

³⁵ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, 202-03)

³⁶ *non inu*

³⁷ Gregorius, *Moralia in Iob*, pref., 2 (CCSL 143, 11)

[11] Item queritur gaudium mundi in deliciis et istorum est numerus infinitus; igitur stulti; nam *stultum non decent deliciae* (Proueria ix).³⁸ Quid est igitur quod querunt delicias stulti? Set mirum est quod non attendunt quod, licet deliciae uideantur dulces, in ueritate tamen sunt amare, unde philosophus: 'Quid dicam de uoluptatibus, quarum appetitus plenus est anxietate, sacietas uero plena penitencie?'³⁹ Non est ergo gaudium in deliciis et precipue nec in fine nec in principio. Voluptas enim similiter est aque dulci que exit amaram^o et iterum redit ad mare. Sic uoluptas in principio est amara per appetitus anxietatem, set in fine amarissima est, scilicet in introitu maris, id est inferni amaritudinis. Ideo dicit psalmista: *Renuit consolari anima mea, scilicet in deliciis.*⁴⁰ Bene enim attendebat illam eandem sententiam, quoniam dicit beatus Gregorius: 'Egris, quibus spes uiuendi promittitur, nequaquam a medico omnia que desiderant conceduntur. Desperatis autem omnia que desiderant non negantur'.⁴¹ Non ergo gloriatur delicatus in deliciis quia Dominus quasi oblitus sit eius sese sibi derelinquid, unde Ecclesiastes v: *Non recordabitur dierum uite sue eo quod Deus occupet cor eius deliciis.*⁴² Set tribulatos et per duriciam uite asperos amplexatur et consolatur, quasi gaudens de spe salutis eorum, unde ii Regum ix: *Osculatur Daud Bersellai,*⁴³ qui interpretatur ferrum.⁴⁴

[12] Quem diligit Christus fortiter uel duriter flagellatum tanquam filium sibi assimilatum. Forte delicatus dicet, 'Delicate nutritus sinu, non possum ambulare per uias asperas'. Set o delicate attende, si semper uir deliciarum existis quomodo testis passionum Christi esse poteris?⁴⁵ Dicit Bernardus: 'Non solum oculis, set eciam

³⁸ Prou 19:10

³⁹ Cf. Boethius, *Consolatio philosophiae*, lib. 3, prosa 7 (CCSL 94)

⁴⁰ Ps 76:3

⁴¹ Gregorius, *Moralia in Iob*, 21.4 (CCSL 143A, 1070)

⁴² Eccle 5:19

⁴³ 2 Reg 19:39

⁴⁴ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 106)

⁴⁵ Cf. I Pet 5:1

omnibus membris fleuit',⁴⁶ quantum scilicet ad effusionem sanguinis. Et cum omnibus rides, *a planta pedis usque ad uerticem capitis, non est in te sanitas* (Ysaias i).⁴⁷ Si autem sanus fieri uelis ab ista infirmitate delicie (namque magna sinit infirmitas anime), crede consilio Bernardi: 'De cunctis unum scio, quia delicatus et deliciis assuetus, et ideo dura non potes. Nonne potes? Queris quomodo? // fol. 104vb // Surge, precingere, tolle ocium, excercitare in aliquo, reddetque sapes cibus exercicium, quos tulit inercia. Multaque respuis ociosus, post labores sumes cum desiderio. Vigiliis times et ieiunia et laborem; set hec leuia sunt meditati flammis perpetuas. Recordacio flammarum perpetuarum facit non horrere solitudinem^p. Si futuram cogitas de uerbis ociosis discusionem^q, non ualde displicebit tibi silencium. Fletus eternus et ille stridor dencium ante oculos reductus pares tibi reddet mattam et culcitram'.⁴⁸

[13] Item sunt nonnulli qui gaudium istud querunt in dignitatibus et honoribus set istud gaudium apostaticum est, quia sicut dicit beatus Gregorius: 'Tociens in apostasiam dilabitur, quociens preesse aliis gloriatur'.⁴⁹ Valde igitur periculosum est in hiis gloriari quia, ut dicit Ecclesiastes, quandoque *dominatur homo homini in malum suum*;⁵⁰ et Sapiencia vi: *Iudicium durissimum in hiis qui presunt fiet*.⁵¹ Nam est de illis sicut de latrone qui supernatat aquas et sic apparet inmundus; set si descenderet in aqua, mundus esset. Similiter qui gaudeant^f supernatare aquas, id est populos (*aque enim multe populi multi* (Apoc)),⁵² proculdubio reputantur per Deum inmundi et suspendio digni. Hinc est quod Dominus precepit Moysi ut suspenderet in patibulo reges.⁵³ Ideo dicit Origenes

⁴⁶ Cf. Bernardus, *Sermones in ramis palmarum*, 3.4 (*Opera*, V, 54)

⁴⁷ Isa 1:6

⁴⁸ Cf. Bernardus, *Epistolae*, 1.12 (*Opera*, VII, 9)

⁴⁹ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 24.25 (CCSL 143B, 1227)

⁵⁰ Eccle 8:9

⁵¹ Sap 6:6

⁵² Cf. Apoc 17:15

⁵³ Cf. Num 25:4

super illum locum: 'Hec si homines attenderent, principatus non ambirent'⁵⁴ quia, sicut dicit Dominus per Ezechielem xxiiii, *Tollam ab eis fortitudinem et gaudium eorum et cetera.*⁵⁵ Bonum est ergo in aquis descendere per consilium Ecclesiastici xxxii:

*Rectorem te posui noli extolli, quasi diceret, esto in illis sicut unus ex illis.*⁵⁶

[14] Qui autem hoc faceret paruum se estimaret et sic sibi pauca sufficere diiudicaret; set paruum parua decent et ideo tam cupiditatem quam gulam euadet et ita per consequens luxuriam quia sine uentre^s et bacho friget uenus. Set per contrarium lumbare se computruit iuxta Eufratem, id est continencia iuxta ubertatem.⁵⁷

[15] Securum est igitur descendere et periculosum super alios per dignitatem et honorem extolli uelle. Nonne ualde periculosum esset fore super pignaculum ecclesie in magna tempestate et adhuc honeratus graui pondere? Esset utique. Qui autem super alios est in dignitate siue potestate quasi super pignaculum est in magna tempestate. 'Nam quid est potestas, nisi mentis tempestatas?', sicut dicit Gregorius.⁵⁸ Honeratus autem est pondere honoris. Honor enim quidam pondus est, sicut dicit Gregorius, 'Vbi magnus honor graue pondus honoris set ubi magnum pondus in altum, uelociter descendit'.⁵⁹ Hinc est quod dicit beatus Bernardus: 'Multiplica prebendas, habe archidiaconatus, postea aspira ad episcopatum'.⁶⁰ Paulatim ascendes set non gradatim descendes^t set in puncto ad infernum cades.

[16] Set qualiter recipietur a dampnatis per defectum impius? Certe pessime quia omnes insurgent^u contra eum, sicut dicit Ysaias xiiii, *Infernus subtus conturbatus est in occursum aduentus sui et suscitabit ei gigantes, scilicet ad deuorandum eum.*⁶¹ Quia

⁵⁴ Origenes, *In Numeros homiliae sec. transl. Rufini*, 20.4 (Corpus Berolinense, 30, 196)

⁵⁵ Eze 24:25

⁵⁶ Eccli 32:1

⁵⁷ Cf. Ier 13

⁵⁸ Gregorius, *Regula pastoralis*, 1.9 (SChr 381, 160)

⁵⁹ Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 26.5 (PL 76, 1200)

⁶⁰ Cf. Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu*, 21 (PL 184, 451)

⁶¹ Isa 14:9

sicut speciale gaudium et aggratulacio erit inter bonum prelatum et predicatorem et illum qui ministerio alterius saluatus est, sic per contrarium speciale odium et menera perpetua inter malum prelatum et illos qui per defectum illius sunt dampnati et ideo constanter quasi gigantes insurgent contra eum ad deuorandum.

[17] Hinc est quod dicit Ysaias ix: *Vnusquisque carnem brachii sui uorabit Manasses Effraim et Effraim Manassem, et isti contra Iudam.*⁶² Manasses interpretatur obliuio⁶³ et significat pauperem qui insurget contra Effraim qui interpretatur frugifer⁶⁴ et significat diuitem qui pauperem angariauit et eius bona rapuit. Propter quod pauper odiuit eum et sic malus diues fuit occasio quodammodo dampnacionis pauperis et econtrario et hii simul insurgent contra Iudam qui interpretatur confitens,⁶⁵ et significat clericos siue prelatos propter confessionis laudes. De quibus spiritualiter tenentur Domino et ita miserabiliter et plus quam cogitari potest in hac uita torquebitur prauus Iudas, id est prauus prelatus.

[18] Hinc est quod dicit psalmista: *Quis nouit potestatem ire tue?*,⁶⁶ quasi diceret nemo. Et ideo exclamat Dominus per Ysaiam xxiiii: *Secretum meum michi.*⁶⁷ Bis dicit 'secretum' quia semel propter inexcogitabile gaudium electis suis preparatum et semel propter inexcogitabilem penam reprobis infligendam. Nolite ergo // fol. 105ra // emulari impios quoniam non habent futurorum spem mali, set lucerna, id est gaudium, eorum extinguetur. Sinite ergo ut mundus floreat et gaudeat ut postmodum fleat et in eternum doleat et qui magis, magis, iuxta illud Apocalypsis xviii: *Quantum glorificauit se et fuit in deliciis tantum date ei tormentum et luctum.*⁶⁸

⁶² Isa 9:20

⁶³ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 82)

⁶⁴ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 81)

⁶⁵ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 67)

⁶⁶ Ps 89:11

⁶⁷ Isa 24:16

⁶⁸ Apoc 18:7

[19] Ex hiis igitur patet quod gaudium mundi causa est doloris eterni, quia sicut dicit Dominus per Ezechielem xxv: *Pro eo quod plausisti manu et percusisti pede et gauisa es toto affectu super terram. Idcirco^w ostendam manum meam super te; ad quid? Scilicet ad fortiter conterendum.*⁶⁹ Vnde psalmista: *In spiritu uehementi conteres naues Charsis,*⁷⁰ quod interpretatur exploracio gaudii.⁷¹ Naues ergo Charsis sunt homines gaudiis mundi uacantes et ea querentes de quibus omnibus ulcissetur se Dominus, unde Ysaia ii: *Dies Domini super omnes naues Charsis.*⁷² Set nolite timere uos, non enim estis de Charsis, id est de exploratoribus gaudiorum.

[20] Set mundus gaudebit, uos autem non estis de mundo et ideo *plorabitis et flebitis uos et contristabimini*, et sic oportet, sicut dicit Gregorius v, 'In amaritudine anime sunt omnes electi, quia uel putare flendo non desinunt que derelinquunt, uel graui se merore afficiunt^x, quod longe adhuc a facie conditoris sunt, et adhuc in eterne patrie gaudiis non sunt'.⁷³ Ecce qualiter duplici de causa oportet hic flere, unde subiungit: 'Is qui nunc ab hoc merore cordis foras se per^y desideria^z eicit, seclusus ab illa^{aa} intima eius solempnitate remanebit'.⁷⁴ Ideo petit Iob x dicens, *Dimitte me ut plangam paululum dolorem meum et cetera,*⁷⁵ quasi diceret, Iam scio quod non est alia uia quo homo uenire poterit ad iusticiam^{bb} et ad celum. Vnde in eodem dicit: *Si impius fuero ue michi est si iustus non leuabo capud saturatus afflictione et miseria.*⁷⁶ Heu miser Iob quid male existi? Quid est quod iustificari non potuisti nisi saturatus afflictione et miseria? Et nos forte credimus nos iustos esse dormientes in lectis sericis, comedentes agnum de grege et uitulos de medio armenti, ad uocem psalterii canentes, uinum in fialis uel

⁶⁹ Eze 25:6

⁷⁰ Ps 47:8

⁷¹ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 113)

⁷² Isa 2:12

⁷³ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.3 (CCSL 143, 220)

⁷⁴ Gregorius, *Moralia in Iob*, 5.3 (CCSL 143, 220)

⁷⁵ Iob 10:20

⁷⁶ Iob 10:15

argenteis bibentes et parum uel nichil super contricione Ioseph, id est Christi, compacientes. Non sic impii non sic quia, sicut dicit Amos vi, ue de talibus.⁷⁷

[21] Ideo oportet hic flere et contristari tum pro commissione peccatorum, cum pro dilacione celestium gaudiorum. Sicut ultimo Gregorius: Hec autem tristitia electorum cito uertetur in gaudium.⁷⁸ Hinc est quod sicut reprobis amara est mortis memoria sic per contrarium electis in hoc peregrinacionis exilio flentibus est mors dulcissima, unde Iob iii: *Expectant mortem gaudentque cum inuenerint sepulcrum.*⁷⁹

[22] Bene enim sciunt quod sancti 'mox, ut a carnis colligacione exeunt, in celesti sede requiescunt', et sicut dicit beatus Gregorius, 'unde apostolus, *scimus enim quod si terrestris domus nostra huius habitacionis dissoluatur, quod edificacionem ex Deo habemus non manufactam, eternam in celis*',⁸⁰ ubi scilicet habebimus plenum gaudium quod nemo tollet a nobis tunc, sicut dicit Ysaias lxi, dabit Dominus *coronam pro cinere et oleum gaudii pro luctu et pallium laudis pro spiritu merroris.*⁸¹ Ecce qualiter Ysaias peribet testimonium Domino quod tristitia nostra uertetur in gaudium. Cinis significat uilitatem quoniam sancti hic paciuntur pro nomine Christi pro qua dabitur eis corona dignitatis et in excellencie. Dabit enim 'oleum gaudii pro luctu'; hoc pertinet ad stolam corporis. Oleum illuminat et significat claritatem corporis. Sanat et ideo significat corporis impassibilitatem quia ab omne corrupcione sanabitur, unde Ysaias lviii: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et sanitas tua cicius orietur.*⁸² Oleum supernatat, et ideo significat corporis agilitatem. Oleum penetrat, et ideo significat corporis subtilitatem, unde Osee: *Erit quasi oliua gloria eius.*⁸³ Et ut sit ad unum dicere: Ibi erunt

⁷⁷ Cf. Am 6:4-6

⁷⁸ *non inu*

⁷⁹ Iob 3:21-22

⁸⁰ Gregorius, *Moralia in Iob*, 4.29 (CCSL 143, 200); II Cor 5:1

⁸¹ Isa 61:3

⁸² Isa 58:8

⁸³ Os 14:7

tibi tot et tanta bona et gaudia tam corporis et anime qualia *nec oculus uidit nec auris audiuit nec in cor hominis*^{cc} cogitauit.⁸⁴ Hinc est quod beatus Anselmus consolans se ipsum querit et respondet durum, 'Quid amas, caro' et cetera.⁸⁵

^a remaneret] *corr. ex remanerent*

^b delinquet] *corr. ex delinquent*

^c unquam] *uniquam ms*

^d querenti] *querens ms*

^e amaram] *amarum ms*

^f inebriaberis] *inebr---s ms*

^g honeranti] *honantum ms*

^h Parisie vel] *add. in marg.*

ⁱ expenditur] *expenduntur ms*

^j diem] *dies ms*

^k deest] *add. in marg.*

^l per *expung. in ms*

^m inminui] *inmuni ms*

ⁿ lege] *corr. ex flege*

^o amaram] *amari ms*

^p solitudinem] *corr. ex sollitudinem*

^q discusionem] *corr. ex discusionem*

^r gaudeant] *gaudeat ms*

^s ventre] *corr. ex rete*

^t descendes] *corr. ex ascendes*

^u insurgent] *corr. ex resurgent*

^v frugifer] *frigifer ms*

^w idcirco] *i circo ms*

^x afficiunt] *afficiuntur ms*

^y se per] *super ms*

^z efficit *expung. in ms*

^{aa} eius *expung. in ms*

^{bb} iusticiam] *corr ex iustiam*

^{cc} ascendit *expung. in ms*

⁸⁴ Cf. I Cor 2:9

⁸⁵ Anselmus, *Proslogion*, 25 (PL 158, 240)

T35 Ite in castellum**fols 105ra-106ra**

*Ite in castellum quod contra uos est et statim inuenietis asinam alligatam et pullum cum ea.*¹

[1] *Tollens Iacob uirgas populeas et amigdalinas et ex plataninas ex parte decorcitauit eas.*² In Exodus per tria genera uirgarum notatur triplex ordo saluandorum:
// fol. 105rb // per uirgas uirides populleas uiror uirginitatis, per uirgas amigdalinas rigor continencie, per uirgas plataninas uita iustorum secularis.

[2] De prima in Apocalypsi: *Tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam.*³
Homo uel diabolus qui eciam transformat se quandoque in angelum lucis. Hec est illa corona de qua in Canticis: *In diademate quo eo coronauit eum mater sua.*⁴ Super hoc in Apocalypsi: *Qui uicerit faciam illum columpnam in templo Dei.*⁵ Columpna est ad sustentamentum et ornatum domus. Sic uero uirgines congregacionis fidelium. Super hoc in Apocalypsi: *Hii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.*⁶

[3] Per uirgas amigdalinas et cetera. Amigdalus enim amarus habet radicem et dulcem fructum. Sic omnis correpcio amara est in presenti et dulcem habet finem. Vnde super illum locum in Matheo: *Penitemini et credite euuangelio,*⁷ Ieronimus:
'Amaritudinem radicis, dulcedo^a pomi compensat; pericula maris spes ortus delectat; dolorem medicine, spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum frangat nucem;

¹ Matt 21:2 (Marc 11:2; Luc 19:30)

² Gen 30:37

³ Apoc 3:11

⁴ Cant 3:11

⁵ Apoc 3:12

⁶ Apoc 14:4

⁷ recte Marc 1:15

penitentiam agat, qui uult eterno adherere bono'.⁸ Super hoc Augustinus: 'Asperum poculum libencius sumitur quando cum intencione salutis offertur'.⁹

[4] Per uirgas plataninas uita secularis iustorum. Platanus enim arbor est et dicitur a platos, quod est elata; nigra est et mollis folii, signans quod si aiugati^b aliqua mala perpetrant, licite bonis temporalibus uirtutes per elemosinarum largicionem et bonum operum delectacionem detergunt.

[5] Virgas uero populeas et amigdalinas et plataninas ante oculos gregis ponere est sanctorum uitam secundum noticiam sacre scripture populo in exemplum prebere; partem corticis seruare et partem deponere est populum Dei literaliter et mystice instruere. Fetus uarii coloris per aspectum uirgarum parere est uarietate morum et bonorum operum per exposicionem legis producere. Istud tangit predicatorem. Tenetur enim esse Iacob subplantans uicia propria qui uult reprehendere aliena. Vnde Gregorius: 'Nota bene uidet oculus quem puluis grauat nec super iniectas^c sordes tergere ualent^d manus que lutum tenent'.¹⁰ Deberet etiam habere noticiam sacre scripture. Vnde Augustinus: 'Innocens et simplex conuersacio, quantum prodest exemplo, tantum nocet silencio. Latratu enim canum et baculo pastorum rabies luporum arcenda est'.¹¹ Solacium tamen predicantis est quod legitur in Iob: Anime esurienti etiam amara dulcia uidentur,¹² et in Ecclesiastico: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus et inuenies gratiam coram Dominus*¹³ et sic fiat inuocacio.

⁸ Ps-Hieronymus (Cummianus), *Commentarius in euangelium secundum Marcum*, 1 (PL 30, 595); cf. *Gloss ord.*, IV, 92

⁹ recte cf. Gregorius, *Registrum epistularum*, IX, 225 (CCSL 140A)

¹⁰ Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.36 (CCSL 143, 377)

¹¹ recte Hieronymus, *Epistolae*, 69.8 (CSEL 54, 696)

¹² recte cf. Prou 27:7

¹³ Eccli 3:20

[6] [P] *Ite in castellum* et cetera. In Matheo duo discipuli dicuntur esse Petrus et Philippus, diaconus non apostolus. Duo dicuntur missi propter scienciam ueritatis et mundiciam operis, uel propter geminam delectionem, uel propter duos populos instruendos. Castellum significat mundum uarietate uiciorum munitum.

[7] Super hoc in Ezechiele: *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis et uarietate, longo membrorum tractu uenit ad Libanum.*¹⁴ ‘*Aquila grandis*’ Lucifer, de quo Gregorius: ‘In comparacione^e angelorum ceteris, clarior fit’.¹⁵ Et Ysidorus: ‘Postquam creatus est Lucifer propter eminenciam nature et profunditatem sciencie in suum creatorem superbiuit in tantum quod ei similis esse uoluit’.¹⁶ Propter hoc de eo ait Iohannes: *Ecce draco magnus rufus habens capita uii et cornua decem et in capitibus suis diademata uii. Et cauda eius trahebat terciam partem stellarum celi et misit eas in terram.*¹⁷

[8] Item ‘*habet magnas alas*’; eius ale sunt potencia et seueritas. De prima Iob: *Non est potestas que conparetur ei super terram.*¹⁸ De secunda in Prouerbiis: *Ne des alienis honorem tuum et annos tuos crudeli.*¹⁹ Et in Apocalypsi: *Angelis crudelis mittetur contra eum.*²⁰

[9] Per plumas seculi uanitas designatur. Vnde Ieronimus: ‘Omnis honor terrenus, spuma, fumus, sompnus’.²¹ Ecce quod ‘*plena plumis uanitatis et uarietate*’, scilicet uiciorum, ‘*longo membrorum tractu*’ quia secum traxit terciam partem stellarum celi ut predictum est. ‘*Venit ad Libanum*’; Libanus enim interpretatur candidacio, et significat

¹⁴ Eze 17:3

¹⁵ Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 34.7 (PL 76, 1250)

¹⁶ Cf. Isidorus, *Sententiae*, I, 10.7-8 (PL 83, 555); Petrus Lombardus, *Sententiae*, II, 6.1 (Spicileg. Bonav., 4, 355)

¹⁷ Apoc 12:3-4

¹⁸ Iob 41:24

¹⁹ Prou 5:9

²⁰ Prou 17:11

²¹ Cf. *Glossa ord.*, IV, 91

mundum quia promittit et non soluit. Super hoc Gregorius: ‘Ab illius solempnitatis gaudio nulla nos aduersitas reuocet quia ad propositum locum ire desiderat. Nulla enim uie asperitas reuocet, nulla me prosperitas seducet; stultus esset uiator qui in itinere amena prata conspiciens obliuiscitur quo tendebat’.²²

[10] [P] Tropologice per castellum notatur concupiscencia carnis. Ait enim apostolus: *Caro concupiscit aduersus spiritum.*²³ In castellum enim sunt tria: // fol. 105va // murus, arma et uictui necessaria. Murus est congeries peccatorum. De quo in psalmo: *In Deo meo transgrediar murum.*²⁴ Super hoc Gregorius: ‘Murus est quicquid in itinere mundi obicitur ne ad eum qui diligitur perueniamus. Set in murum transgredimur cum pro amore patrie obiecta mundi calcamus’.²⁵ Et nota quod dicit ‘transgrediar’ non ‘diruam’ quorum peccato dilecto semper remanet fomes peccati.

[11] Arma sunt excusaciones et defensiones in peccato cum econtrario dictum est in Prouerbiis: *Iustus <in> prius sermonis accusator est sui.*²⁶ Victui uero necessaria per auariciam sunt adquisita. Quandoque aufert Dominus ut facilius capiatur castellum liberi arbitrii, unde comparatur unicorni. Vnicornus uero animal est indomabile et cum capi debet a uenatore, ostendit se ei quedam uirgo denudans pectus suum; quo uiso seueritate unicornis deposita humiliter inclinat se unicornis in gremio uirginis et sic capitur et occiditur. Sic filius Dei in natura propria indomabilis et intractabilis exinaniuit se formam serui accipiens, aspiciens humilitatem ancille sue et sic capitur et crucifigitur. Vnicornis uero pugnans cum elephante eum occidit in loco tenerrimo quam conspicit in eum; sic Dominus diuites. Respectu uxoris proprie uel filiorum uel alterius

²² Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 14.6 (PL 76, 1130)

²³ Gal 5:17

²⁴ Ps 17:30

²⁵ Gregorius, *Moralia in Iob* 26.14 (CCSL 143B, 1282)

²⁶ Cf. Prou 18:17

modi in quo dileccionem ei exhibendam ab eo auersam esse conspicit. Consimile de Paulo; excecatus clamauit, ‘Domine, quid me uis facere?’²⁷

[12] Duo nuncii sunt spes et timor. De quibus Gregorius: ‘Spes, nisi timore castigetur, luxuriat in presencionem. Timor, nisi spe erigatur, degrauat in desperacionem’.²⁸

[13] Sequitur ‘*et inuenietis asinam alligatam et pullum cum ea*’. Literaliter sensus est qui nec haberet asinam nec pullum necessitate usum asine uel pullum haberet. Allegorice per asinam significatur populus Iudeorum, iugo legis pressus et peccatis irretitus. Per pullum populus gencium, ‘*super quam nullus hominum*’, sicut legitur in Luca. Ait enim: *Inuenietis pullum ligatum super quam nullus hominum sedit.*²⁹ ‘*Pullum*’ gentes, interlinearis, ligatum peccatis; ‘*nullus hominum*’ racionabilium doctorum; ‘*ante ianuam*’, scilicet fidei; et ‘*in biuio*’, sicut in Luca.³⁰ In biuio est qui eum non habet ducere qui est uia ueritas et uita.³¹ Vel aliter: In biuio est qui in libertate arbitrii habet uiam uite uel mortis eligere et incedere. Super pullum uero prius sedit Dominus, sicut legitur in hystoria, et post super asinam, licet parua locorum esset distancia inter Bephage et Ierusalem. Sic mystice super utrumque populum successiue. Vnde in Iohanne: *Alias oues habeo et cetera.*³²

[14] Moraliter per asinam caro, per pullum motus carnis quem multipliciter oportet domare per uigilias et ieiunium et huiusmodi. Sic legitur in Prouerbiis: *Virga, cibus, onus asino; panis, disciplina, opus seruo.*³³ Pullus uero asine in iuuentute pretendit; pretendit similitudinem boui iumentum. Veniente senectute? Pigri, stulti et peculantis. Sic

²⁷ Cf. Act 9:6

²⁸ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob* 33.12 (CCSL 143B, 1694)

²⁹ Luc 19:30

³⁰ *recte* Marc 11.4; cf. *Glossa ord.*, IV, 118

³¹ Cf. Ioh 14:6

³² Ioh 10:16

³³ Eccli 33:25

multi in iuuentute in senectute, paupertati et diuiciis. Vnde in Ecclesiastico: *Tres species odiuit anima mea,*³⁴ pauperem^f superbum, diuitem mendacem, senem infatuatum.

Moraliter per pauperem superbum caro, per diuitem mendacem mundus, per senem infatuatum diabolus.

[15] Super hoc pullo in Iob: *Vir uanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri se liberum natum putat.*³⁵ Propter hoc in Exodo: *Primogenitum asini mutabis oue^g si non redimeris, interficias.*³⁶ Per asinam inmundiciam carnis, per ouem simplicitas. Est enim animal simplex fetosum et inmolancium in lege. Quod sit fetosum, apostolus: *Magis autem labora operando quod bonum est ut habeas, unde tribuas neecessitatem patienti.*³⁷ Quod sit inmolancium, apostolus: *Obsecro uos per misericordiam Dei ut exhibeatis membra et corpora uestra hostiam uiuam sanctamque Deo placentem.*³⁸ ‘*Hostiam uiuam*’ sine concupiscencia carnis; ‘*sanctam*’ sine concupiscencia oculorum; ‘*Deoque placentem*’ sine superbia uite.

[16] Hoc de asina mala, redeamus ad eam quam Deus insedet. De qua in Genesi super benedictionem Iacob: *Asinus fortis accubans in terminis uidit requiem quod esset bona et terram quod esset optima supposuit humerum adportandum.*³⁹ Ysacar merces interpretatur,⁴⁰ et bene quia Lia, mater eius, pro mandragoris filii sui Ruben conduxit a Rachel ut dormiret cum ea.⁴¹ Super hoc in psalmo: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas et cetera.*⁴² Et beatus Thomas spe mercedis et corone fortis stetit in agone. ‘*Accubans*’ per humilita- // fol. 105vb // -tem secundum apostolum, *Cum omnia*

³⁴ Eccli 25:3

³⁵ Iob 11:12

³⁶ Ex 13:13

³⁷ Cf. Eph 4:28

³⁸ Rom 12:1

³⁹ Gen 49:14-15

⁴⁰ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 67)

⁴¹ Cf. Gen 30:16

⁴² Ps 118:112

*benefecerimus, dicamus quia serui inutiles sumus.*⁴³ *'In terminis'*^h, scilicet uite et mortis, unde in Ecclesiastico: *In omnibus operibus tuis memorate nouissima tua et cetera.*⁴⁴ *'Vidit requiem quod esset bona'*; [de qua in psalmo] apostolus: *Amodo iam dicit spiritus ut requiescant et cetera.*⁴⁵ *'Et terram quod esset optima'*; de qua in psalmo: *Credo uidere bona Domini et cetera.*⁴⁶

[18] [P] *Soluite et adducite mihi.* Super hoc Ysaïas: *Vade et solue saccum tuum de lumbis tuis et calciamenta de pedibus tuis,*⁴⁷ id est colligationem impietatis et solue per confessionem, tolle per satisfactionem. Confessio enim decet esse amara, humilis, accusatoria, fidelis, uoluntaria, festina, uerecunda, specialis, nuda, integra, propria, uera. De primo Iob: *Non parcam ori meo loquar in tribulacione spiritus mei.*⁴⁸ De secundo Iob: *Qui currit aduersus Deum erecto collo et pingui ceruice armatus est.*⁴⁹ Et in Prouerbiis: *Letantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis.*⁵⁰

[19] Acusatoria decet esse, non excusatoria, sicut fuit confessio primorum parentum. Adam enim per Euam et Eua per serpentem a peccatis se excusauit et ideo a paradiso expulsi sunt.⁵¹ Fidelis decet esse siue fiducialis non sicut Iude proditoris dicentis, *Peccaui tradens sanguinem iustum,*⁵² uel Chaym: *Magis peccaui quam ut ueniam merear.*⁵³ Voluntaria decet esse, non coacta, ut in Canticis: *Mirra que sponte fluit pro baptisma.*⁵⁴ Festinata decet esse, unde in Ecclesiastico: *Ne tardes conuerti ad*

⁴³ Cf. Luc 17:10

⁴⁴ Eccli 7:40

⁴⁵ recte Apoc 14:13

⁴⁶ Ps 26:13

⁴⁷ Isa 20:2

⁴⁸ Iob 7:11

⁴⁹ Iob 15:26

⁵⁰ Prou 2:14

⁵¹ Cf. Ps-Augustinus, *De uera et falsa poenitentia*, 9 (PL 40, 1121)

⁵² Matt 27:4

⁵³ Gen 4:13

⁵⁴ non inu

*Dominum.*⁵⁵ Et Gregorius: *Deus nemini laxamentum peccandi dedit;*⁵⁶ ‘Qui penitenti ueniam concedit, diem crastinum non promittit’.⁵⁷

[20] Verecunda decet esse, unde Gregorius: ‘Erubescencia que non claudit os set penitentemⁱ de peccato confundit habet partem remissionis’.⁵⁸ Specialis non generalis. Nuda, non uerborum ornatu palliata. Integra, non diuisa, unde Augustinus: ‘Impietas est ab eo qui bonus est, summe dimidiam sperare ueniam’.⁵⁹ Si uero proprius sacerdos minus instructus fuerit uel timeat laicus ei confiteri, subeat consilium Augustini qui ait, ‘Qui uult confiteri peccata sua ut inueniat gratiam remissionis, querat sacerdotem qui sciat ligare et soluere’.⁶⁰ Vnde in Marco: *Hoc genus demonii non potest eici nisi in oracione et ieiunio.*⁶¹ Ibi dicit glosa: ‘Non sanat oculum quod sanat calcaneum. Ieiunio sanantur pestes corporis, oracione sanantur passiones mentis’.⁶²

[21] Propria decet esse non alterius proditina, non per uicariam aut per litteras quod patet per x leprosos quibus Dominus dixit: *Ite ostendite uos sacerdotibus.*⁶³ Ipsa enim erubescencia, ita confessione habita, ut predictum est, est magna pars diuini iudicii.

Vera decet esse, non ficta.

[22] [P] *Soluite et adducite mihi.* Soluite per confessionem, adducite per caritatem. Videndum est quid sit caritas et quis ordo diligendi Deum. Quis sit qui diligit Deum? Quis modus diligendi proximum? [Quis sit qui diligit Deum?] Quis ordo diligendi Deum et que merces caritatis? Caritas est dilectio, ut ait Augustinus. Non quicumque quia in Deo est ipse Deus. In nobis est dilectio qua diligamus Deum propter se ipsum et

⁵⁵ Eccli 5:8

⁵⁶ Eccli 15:21

⁵⁷ Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 12.6 (PL 76, 1122)

⁵⁸ Cf. Ps-Augustinus, *De uera et falsa poenitentia*, 10 (PL 40, 1122)

⁵⁹ Cf. Ps-Augustinus, *De uera et falsa poenitentia*, 9 (PL 40, 1121)

⁶⁰ Cf. Ps-Augustinus, *De uera et falsa poenitentia*, 10 (PL 40, 1122)

⁶¹ Cf. Marc 9:28

⁶² Cf. *Glossa ord.*, IV, 113

⁶³ Luc 17:14

proximum propter Deum.⁶⁴ De modo diligendi in Luca: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et totis uiribus tuis.*⁶⁵

[23] Dulciter, prudenter, fortiter: dulcedo siue benignitas ad spiritum sanctum, prudentia siue sapiencia ad filium, fortitudo siue potencia pertinet ad patrem. Ecce noticia trinitatis uel aliter, 'Diliges et cetera, cum toto intellectu sine errore, uoluntate sine contrarietate, memoria sine obliuione'.⁶⁶ Toto intellectu ut nullum locum in confessione dictatis relinquant errori, uoluntate ut nichil ei contrarium uelis, memoria nil reminiscens de quo minus Deo eo scias. Hec tria pertinent ad dilectionem Dei cuius cogites unitatem, ueritatem, uoluntatem.

[24] Hec est posicio aliud in Matheo, alia in Luca: *Diliges Dominum Deum tuum. Dominum dulia, Deum latria, unde ydolatria quando seruitus qui debetur Deo datur ydolis. Istud habetur in Matheo super illum locum: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli seruies.*⁶⁷

[25] Quis sit qui diligit eum in euuangelio patet Iohannis: *Qui habet mandata mea et seruat ea, ipse est qui diligit me.*⁶⁸ Habet audiendo, seruat faciendo, diligit dilectionem probando, quia probacio dilectionis exhibicio est operis. Habet uero ecclesia duo tempora: pacis et hostilitatis, unde Gregorius: 'Tempore pacis fran // fol. 106ra // genda sunt desideria. Tempore hostilitatis ponenda est anima'.⁶⁹

[26] [P] Sequitur de modo diligendi proximum. Super hoc Augustinus: 'O homo attende te ipsum quomodo diligis'.⁷⁰ Sic proximum dilige, scilicet ad uitam eternam

⁶⁴ Cf. Augustinus, *De doctrina christiana*, 2.7 (CCSL 32)

⁶⁵ Luc 10:27

⁶⁶ Cf. Ps-Augustinus (Alcuin), *Sermo* 108.4 (PL 39, 1960); cf. *Glossa ord.*, IV, 70

⁶⁷ Matt 4:10

⁶⁸ Ioh 14:21

⁶⁹ Cf. Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 32.4 (PL 76, 1235)

⁷⁰ Ps-Augustinus, *Sermo* 387.2 (PL 39, 1699)

consequendam. Proximus dicitur ratione prime natiuitatis, spe conuersacionis, propinquitate ratione exhibicionis beneficii collati uel conferendi.^j 71

[27] Quis scit quis diligat eum? Gregorius: 'Vnde probare possimus an diligamus proximos? Claescent si in tempore persecucionis, pro dilectione proximi, ualeamus mori. Legitur enim super illum locum: *Quis habet duas tunicas, det unam non habenti*. Glosa: Qui tempore tranquillitatis proximo non dat tunicam, tempore persecucionis quomodo daturus est animam?'⁷² Ecce quod tenetur ad utrumque. De ordine diligendi in Canticis: *Introduxit^k me rex in cellam uinariam et ordinauit in me caritatem.*⁷³

[28] [P] Sequitur, 'que merces caritatis?' Quelibet uero res quatuor modis diligendi: Natura siue origine aut bonitate sui aut ratione accepti beneficii uel accipiendi. Hiis quatuor modis diligendus est Deus quod secundum naturam patris et filii et spiritus sancti creata est anima; et quia summe bonus est Deus, et quia naturam nostram assumpsit, sua simpla morte nos a dupla liberans, et quia confert nobis in patria sua largiente gratiam, *quod oculus non uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit.*⁷⁴

^a dulcedo] dulcedinem *ms*

^b aiugati] = adiugati

^c iniectas] iniecta *ms*

^d ualent] ualet *ms*

^e comparacione] inparacione *ms*

^f pauperem] paupertati *ms*; et diuiciis *expung. in ms*

^g oue] ouem *ms*

^h terminis] termis *ms*

ⁱ penitentem] pententem *ms*

^j conferendi] confererendi *ms*

^k introduxit] introxit *ms*

⁷¹ Cf. Petrus Lombardus, *Sententiae*, III, 28.3 (Spicileg. Bonav., 5, 171)

⁷² Gregorius, *Homilia in euangelia*, 27.3 (PL 76, 1206)

⁷³ Cant 2:4

⁷⁴ I Cor 2:9

T40 Benedictum lignum per quod fit iusticia

fols 107va-108ra

[1] *Benedictum lignum per quod fit iusticia*, Salomon dicit.¹ Quod uerbum Dei est sicut stimulus et sicut clavis in asserere.² Stimulus hortatur animal et pungit; ita predicator hortatur peccatorem. Peccator uero cum audit uerbum Dei, intencio intra pungit grauiter. Vnde Petrus in Actibus: *Hiis auditis, compuncti sunt in cordibus et dixerunt quid faciamus nos.*³ Set accidit, quod peccator scit quod predicator debet loqui et scit quod pungetur, fugit a predicacione et spernit audire, si sciat pro uno quod hoc non erit ei adiuuamentum set magis erit causa doloris et tormenti. Vnde propheta Salomon: *Noluerunt attendere et uerterunt scapulum et fugierunt, et paulo post: clamabunt et non exaudiam.*⁴ Ideo uerbum Dei est sicut clavis. Clavis enim firmat et corroborat et coniungit duo simul. In psalmo: *Panis cor hominis confirmat,*⁵ panis scilicet uerbi Dei. Ideo necessaria est predicacio in quolibet tempore ad confirmandum et firmandum quia qui acceperunt corpus Domini ad Pascam, necesse est ut sint mundi et firmi contra Pentecosten ad accipiendum spiritum sanctum. Et hic fiat inuocacio: Benedictum sit et cetera.

[2] Lignum, scilicet crucis, de quo figurabatur quando populus uenit in desertum et siciebant et clamabant ad Moysen quia omnes aque illius deserti erant amare et dictum fuit ad Moysen, 'Pone lignum in aquam, deueniet dulcis'.⁶ Per amaritudinem aque intelligitur tribulacio huius mundi. Igitur si aliquis fastidiat^a de ieiunio, obiciatur^b quod

¹ Sap 14:7

² Cf. Eccle 12:11

³ Act 2:37

⁴ Zach 7:11-13

⁵ Ps 103:15

⁶ Cf. Ex 15:23-25

Dominus ieiunauit xl dies et noctes sine cibo corporali. Si dicat quod sit pauper, respiciat uilitatem et paupertatem Christi in cruce, unde *uul- // fol. 107vb // -pes foueas habent et uolucres celi nidos et cetera.*⁷ Huiusmodi ponat passionem Dei in omnibus tribulacionibus et dulce uiduntur respectu passionis Christi. Augustinus: ‘Amarum potum prius gustat medicus, ut egrotus libencius accipiat’.⁸ Et Gregorius: Quod laborem honerosum putamus si respiciamus quantum biberit ad patibulum qui nos inuitat ad premium.⁹ Durum uidetur accipere omnibus disciplinas et ieiunium et cetera. Quamuis aliquis facit ut omnes penalitates que facte sunt ab inicio^c mundi, omnes non possunt comparari passionibus Christi. Set quantum ad utilitatem?

[3] Hoc est eciam lignum de quo in Ezechiele quod *fructus eius erit in cibum et folia in medicinam.*¹⁰ Et in Apocalypsi: *Folia illius arboris sunt ad sanitatem gencium deputata;*¹¹ fructum ligni fuit Christus, folia uerba eius. Si pomum sit durum, puer uerberat et mollificat quod potest inde habere cibum et potum. Vnde in euuangelio: *Vere cibus est eius caro et potus eius sanguis.*¹² De quo Bernardus: Bonus est seruus cuius caro est cibus et sanguis datus est in potus et anima in redempcionem.¹³ Hoc eciam fuit lignum super quod duo homines tulerunt uuam, hec uua fuit passa; unde ‘passus sub Poncio Pilato’. Vinum huius uue calcatum fuit toculari, id est sanguis Christi. Qui bene potaret ex isto uino, cito inebriaretur. Qui uere ebrius est non sentit puncturas nec uerbera. Vnde in Parabolis: *Verberauerunt me et non dolui tractauerunt me et non sensi,*¹⁴ et in Canticis: *Bibite et inebriamini.*¹⁵ Set quam rari sunt qui potauerunt^d ex hoc potu. Set Paulus bene potauit qui dixit: *Mihi autem absit gloriari et cetera.*¹⁶

⁷ Luc 9:58

⁸ Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, 98.3 (CCSL 39)

⁹ *non inu*

¹⁰ Eze 47:12

¹¹ Apoc 22:2

¹² Ioh 6:56

¹³ *non inu*

¹⁴ Prou 23:35

[4] Plures sunt qui mortui sunt mundo set tamen mundus eget ipsis, sicut uiri sancti qui intrant religionem et relinquunt mundum; tamen mundus eligit eos in episcopatum et prelatum. Plures alii sunt qui secuntur et mundus fugit ab eis uelut umbra; unde Iob: *transierunt omnia uelut umbra.*¹⁷ Vnde qui sequitur umbram, super umbra fugiet ab eo; econtrario qui fugit umbram, super eum sequetur. Ita plures quanto magis secuntur mundum, tanto mundus fugit ab ipsis et cetera.

[5] Item quanto magis aliquis appropinquatur soli, tanto minus est eius umbra; ita appropinquante gracia que umbre sunt parue^e uidentur et cetera. Et ideo qui uellent habere magna deberent fugere parua. Quid non faciunt plures? Set plures sunt qui inebriantur cupiditatibus et suauibus carnis uinis et cibus illicitis, quibus in Apocalypsi: *Quantum glorificauit se et in deliciis fuit et cetera.*¹⁸ Et propheta: *Flete et ululate omnes qui bibitis uinum in dulcedine, quia uertetur in amaritudinem.*¹⁹ Et Ieremias: *Calix aureus in manu Domini inebriat omnem terram,*²⁰ id est omnes terrenos. Boni sunt celi; calix id est mundus, quia mundus in manu Domini est. Qui uult intoxicare aliquem dat uenenum in cippo aureo et stultus non attendit de potu set de uasé. Mundus est qui uult intoxicare suum amatorem. Promittit plura set non soluit; set dat laborem in acquirendo, timorem in possedendo, dolorem in amittendo. Quicumque maiora dimittit, maior erit, set hii inebriati sunt mundo et prouocant Dominum ad iram. Vnde Osee: *Effray in amaritudinibus suis prouocat me.*²¹ Effraym interpretatur frugifer,²² et significat diuitem^f qui deditus est mundo et qui amisit oculum spiritualement, qui nichil uidet nisi terrena. Pone candelam a longe ab ebrio et uidebitur sibi quod due sunt; set cum prope

¹⁵ Cant 5:1

¹⁶ Gal 6:14

¹⁷ Sap 5:9

¹⁸ Apoc 18:7

¹⁹ Ioel 1:5

²⁰ Ier 51:7

²¹ Os 12:14

²² Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 65)

sit, nec sic uidebitur. Ita cupidus quicquid non habet uidetur sibi quod magis est quam sit; illo adempto paruum uidetur; ita eciam quod est in aqua uidetur magis quam sit; et ita fluxibilitate huius mundi et cetera.

[6] [P] Benedictum lignum et cetera. Istud lignum benedictum est a Deo et ab homine. A Deo per ipsum totum redimendo, infernum spoliando; ab homine est benedictum corde credendo, ore laudando, opere colendo. Folia huius ligni sunt uerba Christi; Dominus sua gracia multum laborauit corpore et adhuc facit spiritum. Exemplum dedi uisione Christiani quomodo uidebat Dominum, ibi sepulcrum uelatum lintheo albo et quomodo ostendebat uulnera.

[7] Et hoc // fol. 108ra // post disputacionem cum uideo aliud exemplum quomodo uir sanctus ductus fuit in infernum ab angelo et ibi uidit tres gradus penarum et diuersos in illis cruciari. Interrogauit uir sanctus, 'Qui sunt hii qui hic in summo gradu sunt?' Respondit, 'Hii sunt pagani qui nichil sciebant de lege'. 'Et qui sunt hii medii?' Respondit angelus, 'Hii sunt Iudei qui acceperunt legem aliquantulum'. 'Et qui sunt hii infimi?' 'Hii sunt fidei Christiani qui fuerunt in fide Christi, tamen non firmi'. Reuelatum eciam fuit Constantino imperatori quomodo deberet ferre signum crucis et deuincere hostes, qui misit matrem suam Helenam ut quereret crucem.

[8] Quidam infirmus fuit et cum mori deberet, nullus fuit intus nisi puer qui uidit plures coruos intrare domum homine moriente. Vidit puer columbam exeuntem de corpore quam insequabantur corui donec uenit et sederet super brachium crucis. Hoc facto recesserunt et nimirum quia diabolus deuictus fuit per crucem et semper postea eam odit et fugit⁶. Et nota quod nullus erat tam sanctus quin ueniat ad eum diabolus in morte. Ita uenit ad beatum Martinum; quo uiso, dicit beatus sanctus, 'Cruenta belua, quid hic instas? Nichil funestum in me reperies'. Veneranda est igitur dies crucis, sicut dies redemptionis. Et nota quod festa statuta sunt non solum ut quiescant ab operibus

temporalibus set a peccatis et in quibus deberent ueniam petere. Set plures sunt qui magis peccant in festiuis diebus quam in tota ebdomada. Benedictum lignum et cetera.

Istud lignum benedictum est a Deo in effectu et opere et cetera.

^a fastidiat] fastidiatur *ms*

^b obiciatur] obiciat *ms*

^c ab inicio] apnicio *ms*

^d potauerunt] potauit *ms*

^e parue] parua *ms*

^f diuitem] diuites *ms*

^g fugit] figit *ms*

T41 Qui uicerit non ledetur a morte secunda

fol. 108ra-vb

*Qui uicerit non ledetur a morte secunda.*¹

[1] Verba sunt spiritus sancti loquentis per os sancti Iohannis in Apocalypsi 2. Verbum Domini uino comparatur hac ratione. Vinum letificat et calidum est ab effectu. Assimili, nichil est quod magis dat spiritualem iocunditatem quam uerbum Domini. Verbum eciam Domini igne caritatis cor inflamat. Sicut contingit aliquando quod uinum licet in se sit optimum et de bona uite et tempore congruo uindemiatarum, bibentibus non bene sapit, et hoc uel quia uas in quo uinum reconditum fuit non est mundum, uel quia os bibentis alicuius cibi uel potus amaritudinem in se retinet. Ita est de uerbo Domini quod uinum dicitur. Vnde Dominus in euuangelio: *Nullus mittit uinum nouum in utres ueteres,*² quod de illa uite processit qui dicit: *Ego sum uitis uera, uos palmites.*³ Quod eciam uindemiatum fuit tempore optimo quia tempore gracie quod licet sit optimum, non placet auditoribus et hoc uel propter peccatum predicantis, unde dicit beatus Gregorius: 'Cuius uita despicitur' et cetera,⁴ uel quia audientes in amaritudine peccatorum delectantur, quibus uerbum Domini licet dulce amarum uidetur. Ne autem uerbum Dei per peccatum meum^a aut per uestrum impediatur dicamus Pater noster.

[2] [P] *Qui uincit* et cetera. Per hec uerba hortatur nos ad uincendum ostendens uictorie utilitatem, scilicet non ledi a secunda morte. In primis ergo uidendum est que sit secunda mors ut uisa eius acerbitate, eam detestemur et ad expugnandum omnia que

¹ Apoc 2:11

² Matt 9:17; Marc 2:22; Luc 5:37

³ Cf. Ioh 15:1; Ioh 15:5

⁴ Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 12.1 (PL 76, 1119)

illam inducunt animemur. Notandum quod duplex est mors et duplex uita, scilicet carnalis et spiritualis. De carnali nichil ad presens, spiritualis uero. Duplex est uita et duplex mors, scilicet prima et secunda. Prima uita est uita gracie, secunda uita glorie. Eodem modo, prima mors est mors culpe, secunda pene. Et sicut nulla comparacio est prime uite ad secundam, ita nulla est comparacio prime mortis ad secundam.

[3] Prima uita ut diximus est uita gracie que consistit in uirtutibus; secundum quas homo similitudinem habet sui creatoris, quas uirtutes, ut ait Augustinus: 'Quanto quis plus in se habet, tanto proprius est Deo et maiorem sui conditoris gerit similitudinem'.⁵ Sicut enim cera calida impressa sigillo secundum pulcritudinem sigilli pulcritudinem recipit impressionis, ita anima, igne caritatis accensa, ineffabili creatoris sui per amorem iuncta pulcritudini, inestimabilem recipit pulcritudinem in qua conditus fuit primus homo'. Vnde in Genesis: *Faciamus hominem ad similitudinem et ymaginem*.⁶ Que ymago licet in primo patre nostro per peccatum fuit deformata, per passionem filii Dei fuit reformata.

[4] Quam nobilis autem fit ista uita secundum quam creatura similis est suo creatori? Nullus posset exemplificare que quanto excellencior, tanto diligentius est obseruan- // fol. 108rb // -da. Vnde Augustinus: 'Vnusquisque diligentius attendat sue prime condicionis excellenciam^b, conuenerandam in se ipso sancte trinitatis ymaginem agnoscat, honoremque similitudinis diuine, ad quam creatus est, nobilitate morum, excercicio uirtutum, dignitate meritorum habere contendat. Vt quando apparuerit qualis sit, tunc ei similis appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo Adam reformauit'.⁷

⁵ Cf. Ps-Augustine (Alcherus Claraeuallensis), *De spiritu et anima*, 35 (PL 40, 806)

⁶ Gen 1:26

⁷ Cf. Ps-Augustine (Alcherus Claraeuallensis), *De spiritu et anima*, 35 (PL 40, 806)

[5] Et licet huius uita nimis sit preciosa quia amitti potest, sine timore non est, nimio est semper timendum. Cum enim adest gracia, timendum est ne indigne operemur ex illa qua, quod ait apostolus (2 Cor 6), *Hortamur nos ne in uacuum gratiam Dei recipiatis.*⁸ Suple negligendo^c donum Dei. Vnde Bernardus: ‘Donum negligere^d et non expendere ad quod donatum est, intollerabilem esse superbiam indicat. Sic ergo timendum est manente gracia, quod si recesserit? Magis timendum est quia deficiente gracia, deficiis tu, unde, *Sine me nichil potestis facere.* Time ergo subtracta gracia, tanquam mox casurus, quia reliquit te custodia tua. Quod si gratiam per Dei misericordiam redire contingat, multo amplius timendum est, ne forte contingat reciduum pati, quod periculosius est. Vnde Dominus: *Vade et noli amplius peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* Ecce manifeste ostendit grauius re incidere quam incidere’.⁹

[6] [P] Secunda uita, que est uita glorie, in infinitum preciosior est, quia cum sit gloriosa, eterna est, in qua est gaudium sine tristitia, uita sine morte, securitas sine timore, quia ibi est *perfecta caritas que foras mittit timorem.*¹⁰ In prima enim uita sunt fides, spes, caritas. In secunda, loco fidei succedet uera cognicio, unde ad Corinthios 13: *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum;*¹¹ loco spei certa fruicio, caritas uero manebit set perficietur. Hec sunt dotes anime et quoniam hec uita erit in corpore et in anima, corpus ibi suas habebit dotes, scilicet agilitatem, subtilitatem, splendorem, impassibilitatem. Ecce manifeste apparet nullam esse comparacionem prime uite ad secundam.

[7] Similiter nullam est comparacio prime mortis ad secundam. Prima mors est auersio ab incommutabili bono ad aliquid aliud inordinate amandum. Que auersio peccatum est mortale et ideo separat hominem a Deo suo. Vnde Ysaias 59: *Iniquitates*

⁸ II Cor 6:1

⁹ Cf. Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 54.9-11 (*Opera*, II, 109)

¹⁰ I Ioh 4:18

¹¹ I Cor 13:12

*uestre diuiserunt inter uos et Deum et peccata uestra absconderunt faciem eius a uobis.*¹² De prima uero morte penitus non est desperandum, quia de nemine desperandum est dum fuerit in uita quia, quantumcumque fuerit malus, per penitentiam poterit reparari. Vnde Ezechiel 18: *Si impius egerro^c penitentiam ab omnibus peccatis operatus est et custodierit precepta mea et fecerit iudicium et iusticiam uita uiuet et non morietur.*¹³ Dicit eciam Dominus in eodem: *Nolo mortem peccatoris;* unde statim subiungit, *Reuertimini et uiuite.*¹⁴ Dicit eciam Dominus in euuangelio: *Qui crediderit in me eciam si mortuus fuerit, uiuet.*¹⁵ Ne quis uero desperet, perfidus aspiciet Petrum, predoque latronem, Zacheum cupidus, immundus carne Mariam, crudelis Paulum, quem pungit cura Mattheum.

[8] [P] Secunda uero mors est amarissima que non erit tantum in corpore set in corpore et in anima; hec mors erit eterna. Vnde dici potest mors sine morte que minus esset intolerabilis. Set non potest, unde Iob xix: *Luet^f omnia que fecit et non consumetur.*¹⁶ Vnde in Apocalypsi 9: *Querent homines mortem et non inuenient.*¹⁷ Hec mors erit in inferno, ibi erit ignis inextinguibilis, frigus intolerabile. De quibus Iob 3: *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.*¹⁸ Item ibi erit fetor inmensus, unde Ysaias: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam,*¹⁹ id est t'ophet; et in psalmo: *Ignis et sulphur et cetera.*²⁰ Item ibi erit tenebre palpabiles, unde Iob v: *Quasi in nocte sic palpabunt in meridie.*²¹ De hiis tribus in euuangelio: *Ligatis manibus et pedibus proicite eum in tenebris exteriores ubi et cetera.*²² Ibi impii qui hi opulenti erant

¹² Isa 59:2

¹³ Eze 18:21

¹⁴ Eze 18:32

¹⁵ Ioh 11:25

¹⁶ Iob 20:18

¹⁷ Apoc 9:6

¹⁸ Iob 24:19

¹⁹ Isa 30:33

²⁰ Ps 10:7

²¹ Iob 5:14

²² Matt 22:13

et dormierant in lectis eburneis quibus promittitur^g ue, ut in Amos 6.²³ Habebunt illum^h lectum de quo Ysaïas 14: *Subter te sternetur tinea et operimentum tuum uermes.*²⁴

Quanta uero ibi erit penarum uariarum acerbitas sicut uera quanta erunt in celo // fol.

108va // gaudiaⁱ nulli homini scire datum est; unde Dominus per Ysaïam 24 bis dicit, *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*²⁵

[9] Ecce apparet in parte huius mortis acerbitas, ut ergo eius lesionem qui incomparabiliter excedit omnes alias lesiones uitemus. Vincamus pugnando contra illum aduersarium per cuius inuidiam tam prima mors quam secunda intrauit in mundum, unde in Sapiencia 3: *Inuidia diaboli mors intrauit orbem terrarum.*²⁶ Ille uero quasi tyrannus fortis est qui eciam rex dicitur, ut in Iob 41: *Ipse est rex super omnes filios superbie.*²⁷ Sicut primum hominem deiecit, ita totam ecclesiam nititur destruere et licet potestas eius maxima sit, de qua Iob 41: *Non est super terram potestas que comparetur ei;*²⁸ et licet copiosum habeat exercitum utpote omnes species inmundos et eciam malos Christianos, tamen quia iniustam habet causam, de exercitu suo et uiribus suis non plene confidens, duos coadiutores ad debellandum ciues Ierusalem sibi accerceunt, scilicet mundum et carnem et tali uallatus exercitu, omnes se credit posse decipere. Vnde Iob 40: *Absorbebit fluium et non mirabitur et habet fiducias quod influat Iordanis in os eius.*²⁹

[10] Ideo neminem intemptatum relinquit. Vnde eciam filium Dei temptauit, primo per peccatum gule quando dixit, *Si filius Dei es, dic ut lapides et cetera;* secundo per uanam gloriam est dixit, *Si filius Dei es, mitte te deorsum;* tercio per auariciam est dixit,

²³ Am 6:4

²⁴ Isa 14:11

²⁵ Isa 24:16

²⁶ Sap 2:24

²⁷ Iob 41:25

²⁸ Iob 41:24

²⁹ Iob 40:18

*Hec omnia tibi dabo et cetera.*³⁰ Et hoc ideo quia hoc ordine et hiis temptationibus primum hominem deicit, ait enim serpens, *In quacumque die comederitis, ecce gula; eritis sicut Dei, ecce uana gloria; scientes bonum et malum, ecce auaricia.*³¹ Eisdem uero temptatibus omnes homines nititur deicere. Hec sunt illa tria de quibus dicit Iohannes in canonica 1 2: *Omne quod est in mundo aut est concupiscencia carnis aut concupiscencia oculorum aut superbia uite.*³² Hee sunt tres lancee quas Ioab fixit in corde Absolonis, sicut legitur in 2 Regum 18.³³ Hee sunt illa tria de quibus Abacuc 1, loquens de diabolo, ait: *Totum subleuauit in hamo, traxit illud in sagena sua et congregauit in rethe suo*^k.³⁴ In hamo uoluptas carnis designatur, ubi sub esce dulcedinem latet hamus culpe. In sagena, que de ripa in ripam trahitur ut uix modicus piscis euadat, designatur superbia, quia pauci sunt qui laqueos superbie possunt euadere. In rethi intelligitur auaricia, quia in rethi, dum est in mari, nichil inuenitur nisi aqua amara immacula^l et filum quo pisces illaqueantur; sic in auaricia nichil inuenitur nisi amaritudo in acquirendo et in retinendo et filum peccati uinculum. Vnde in Prouerbiis: *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur;*³⁵ et in psalmo: *Funes peccatorum et cetera.*³⁶ Set cum rethe ad litus trahitur, nichil remanet nisi filum piscem morientem constringens; ita auarus cum moritur, nichil remanet nisi peccatum ad mortem constringens. Vnde Bernardus: ‘Mundus inexorable sibi constituit ianitorem licet ex omnibus afferro nichil; peccatum uero cum nichil sit, nulla foraminis angustia potest retineri’.³⁷

³⁰ Matt 4:1-11; Luc 4:1-13

³¹ Cf. Gen 3:5; cf. Petrus Lombardus, *Sententiae*, II, 21.5 (Spicileg. Bonav., 4, 436)

³² I Ioh 2:16

³³ II Reg 18:14

³⁴ Hab 1:15

³⁵ Prou 5:22

³⁶ Ps 118:61

³⁷ Cf. Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu*, 14 (PL 184, 446)

[11] Et ideo sequitur miserum peccatorem quouscumque ierit. Quodcumque istorum duas habet filias; de quibus in Parabolis 20: *Due sunt sanguisuge^m filie que semper dicentes affer, affer.*³⁸ Carnis concupiscencia est sanguisuga cuius una filia est gula que post unum ferculum clamat, affer aliud, post unum potum, alium; que mala perueniunt ex hac fila multorum exemplis est manifesta. Alia filiaⁿ est luxuria que post unum concupitum clamat, alium. Similiter sunt due filie superbie, scilicet uana gloria et secularis potencia. Similiter due sunt filie auaricie, scilicet cupiditas et tenacitas qui istis, scilicet hamo, sagena, rethi capiuntur, fiunt omnibus istius mali piscatoris. Sicut enim cibus Christi est uoluntas Dei, ut in Iohanne 3: *Cibus meus est ut faciam uoluntatem eius qui misit me;*³⁹ sic diaboli cibus sunt qui faciunt uoluntatem eius. Quod luxuriosi sint cibus diaboli; dicit Iob 40: *Fenum quasi bos commedet.*⁴⁰ Quod auari, dicitur in Genesis: *Terram commedes cunctis diebus uite tue.*⁴¹ Quod superbi, legitur in Ysaïas 65: *Serpenti puluis panis eius.*⁴² Heu, quam infelix est qui cibus est diaboli. Vnde Ieronimus: Infelix est cordis habitaculum quam singulis diebus diabolo preparat conuiuium.⁴³ Viriliter contra hec uicia est resistendum quia si ista uincimus, uincitur diabolus. Vincamus ergo gulam^o per abstinentiam, luxuriam per continenciam, auariciam per largi- // fol. 108vb // -tatem, superbiam per humilitatem. Qui sic uicerit non tantum ledetur a secunda morte, immo gloriam habebit perpetuam; unde in Apocalypsi 2: *Vincenti dabo manna^p absconditum,*⁴⁴ id est eterne glorie dulcedinem anima v quod interpretatur quid est hoc, unde dicit glosa super illum locum: ‘Mana

³⁸ recte Prou 30:15

³⁹ Ioh 4:34

⁴⁰ Iob 40:10

⁴¹ Gen 3:14

⁴² Isa 65:25

⁴³ non inu

⁴⁴ Cf. Apoc 2:17

absconditum', id est eternam gloriam, de qua omnes dicunt quid est hoc quod nec oculis

uidit nec auris audiuit et cetera.⁴⁵

-
- ^a impediatur *expung. in ms*
 - ^b excellenciam] *corr. ex excelidenciam*
 - ^c neglegendo] *nec eligendo ms*
 - ^d neglegere] *nec eligere ms*
 - ^e egerit] *egerro ms*
 - ^f luet] *lis et ms*
 - ^g promittitur] *proromittitur ms*
 - ^h illum] *inllum ms*
 - ⁱ gaudia] *gaudio ms*
 - ^j non] *tunc ms*
 - ^k suo] *suum ms*
 - ^l immacula] *inmaculus ms*
 - ^m sanguisuge] *sanguisue ms*
 - ⁿ filia] *fila ms*
 - ^o gulam] *culam ms*
 - ^p manna] *mania ms*

⁴⁵ Cf. *Glossa ord.*, IV, 552; cf. I Cor 2:9

T42 Ascendam in palmam**fols 108vb-109va***Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius.*¹

[1] Christus caput ecclesie ascendit ad patrem ubi sedet ad dexteram eius et pro nobis interpellat. Set cum sit caput nostrum, iustum est ut quo precessit sublimitas capitis, sequatur humilitas membrorum, *ut sequamur uestigia eius*, sicut dicit Petrus.² Set quia pauci sunt qui eum imitantur; exclamat Bernardus: ‘Quam pauci sunt, o bone Ihesu, qui post te ire uolunt, cum non sint qui ad te uenire nolunt. Scientes enim quod delectaciones *in dextera tua usque in finem*,³ uolunt frui te, set non imitari te; correignare uolunt set pati nolunt; consequi set non sequi’.⁴ Vt ergo ad has delectiones perueniamus, necesse est ut eius uias attendamus et eis diligenter insistamus.

[2] Ad quod notandum quod Dominus noster a Monte Oliueti ascensionis iter inchoauit, relinquens nobis exemplum ut et nos ita faciamus. Mons Oliueti dicitur a pluralitate oliuarum que in eo habundant. Oleum autem illuminat, pascit et medetur; unde Ieronimus: ‘Oleum ex amaritudine radicis surgit in pabulum luminis, in medicamentum uulneris et refectionem esurientis’.⁵ Vnde in sacra scriptura oleum significat misericordiam propter conuenientes proprietates olei et misericordie cuius vii sunt opera que possunt hoc uersu notari:

uisito, condo, tego, redimo, cibo, colligo, poco.

¹ Cant 7:8

² I Pet 2:21

³ Ps 15:11

⁴ Cf. Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 21.2 (*Opera*, I, 123)

⁵ Ps-Hieronymus (Cummianus), *Commentarius in euangelium secundum Marcum*, 1 (PL 30, 594)

Sequentes ergo uestigia Ihesu Christi ab operibus misericordie iter inchoare debemus ut in hoc itinere, elemosina uiam illuminet, uulnera curet et nos reficiat.

[3] Preterea notandum quod elemosina ardorem peccati extinguit, iniquitates redimit, uiam dilatat et miserias mitigat. Vnde uersus:

Extinguit, redimit, illuminat, ampliatur, ungit.

Extinguit – Ecclesiasticus: *Ignem ardentem extinguit aqua et elemosina resistit peccatis.*⁶

Redimit – unde Daniel de Nabugodonosor: *Peccata tua elemosinis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*⁷ Illuminat – unde Ysaias: *Frange esurienti panem tuum et*

*cetera;*⁸ et infra: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et gloria Domini colliget te.*⁹

Ampliatur – in Prouerbiis: *Donum hominis dilatatur uias eius et ante principes spacium facit*

*illi;*¹⁰ hoc est ante apostolos in iudicio cum Domino sedentes, *unde principes populorum*

*congregati et cetera.*¹¹ Ungit – unde *Maria ergo unxit pedes Ihesu et cetera;*¹² pedes Ihesu

sunt pauperes quos ungit qui eorum miserias^a releuat. Sic ergo danda est elemosina que est quasi quidam nuncius precurrens et uiam preparans.

[4] Set qui premitit nuncium ut coram principe peragat mandatum, expedit ei ut habeat nuncium uelocem, expeditum, fidelem et principi familiarem; tales sunt pauperes infirmi.

Sunt enim ueloces quia infirmi, cito enim transeunt ab hac uita ad aliam. Sunt expediti quia sarcinis huius mundi sunt exhonerati. Sunt fideles pro benefactoribus suis orantes et Deum

laudantes; unde Ysaias de talibus: *Laude mea infrenabo^b te, excoxi te ad purum, elegi te in*

⁶ Eccli 3:33

⁷ Dan 4:27

⁸ Isa 58:7

⁹ Isa 58:8

¹⁰ Prou 18:16

¹¹ Ps 46:10

¹² Ioh 12:3

*camino paupertatis.*¹³ Sunt Deo familiares quia ei ualde similes qui in mundo nichil habere uoluit ne inueniret in eo diabolus quod ei auferre posset; unde Iohannes: Venit princeps huius mundi et in me non habet quicquam.¹⁴ Debet etiam elemosina dari cum festinatione et ylaritate, unde, *ylarem datorem.*¹⁵ Vnde Seneca: 'Omnis benignitas properat et proprium est libenter facientis cito facere.'¹⁶ Et alii: 'Quantum more adicis, tantum graciae demis'.¹⁷

[5] *Ascendam in palmam* et cetera. Dicit Paulus ad Ephesios: *Qui descendit, ipse est qui ascendit,*¹⁸ unde et a contrario sensu: Qui ascendit, ipse est qui descendit. Vnde Dominus in euuangelio: *Qui se humiliat exaltabitur* et econtrario,¹⁹ quod patet in ascensione Domini et in des- // fol. 109ra // -censu diaboli. Diabolus ascendere uoluit qui ait: *Ascendam in celum, exaltabo solium meum, ponam sedem meam ad aquilonem et ero similis Altissimo.*²⁰ Ideo contingit ei quod dictum est in Ysaia: *Detracta est usque ad inferos, superbia tua concidit cadauer tuum.*²¹ Econtrario Dominus descendit de celo in terram, tronum suum in uentre uirginis humiliavit; operatus est similiter in medio terre et similis factus est descendentibus in lacum. Vnde meruit exaltari et habere *nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Ihesu omne genu flectatur* et cetera.²² Sic ergo se humiliavit ut nos, qui exemplo et instinctu diaboli prostrati^c fuimus, eleuaret ad modum pauperis mulieris paruulum suum inpotentem per se ipsum ambulare secum deferentis. Ipsa se prosternit ut super eam puer ascendere

¹³ Cf. Isa 48:9-10

¹⁴ Cf. Ioh 12:31

¹⁵ II Cor 9:7

¹⁶ Seneca, *De ben* 2.5 (Basore, 58)

¹⁷ *non inu*

¹⁸ Eph 4:10

¹⁹ Matt 23:12; Luc 14:11

²⁰ Isa 14:13-14

²¹ Isa 14:11

²² Phil 2:9-10

ualeat et sic se erigens de collo deferat. Vnde Gregorius: 'Christus se ipsum prostravit ut tanquam in iacentem ascendamus; surrexit et in eo eleuati sumus'.²³

[6] Item per superbiam et concupiscenciam cecidimus in primo patre nostro; unde omnis in concupiscencia nascimur. Vnde Dominus noster, tanquam peritus medicus conuenientissimum adhibens morbo nostro remedium, pro salute nostra descendit in Iordanem; per humilem descensum superbiam curans, per aquam ignem concupiscencie extinguens, ut nos qui per superbiam cecidimus et in concupiscencia nascimur, per humilem^d descensum in baptismum erigamur et in aquam temperancie renascamur. Ab hoc humili descensu gradatim descendit ad patrem ut nos humiles ascendere doceat.

[7] Vnde vii leguntur eius ascensiones a Iordane qui interpretatur humilis descensus.²⁴ Ascendit in desertum, ubi diabolum expugnauit; in hoc dans nobis exemplum ut nos humiles mundum relinquamus et in desertum ascendentem, mundum, carnem et diabolum expugnemus. Istud desertum est penitencia in quo uere penitens et dolens uarios insultus mundi carnis et diaboli sustinet. In deserto enim sunt uarii mundialium^e rerum defectus: serpentum punctiones, id est demonum, sitis, ardor et fames. Set contra hec omnia nos confortat presencia Domini qui loquens per Osee de fidei anima ait: *Adducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius.*²⁵ De hoc deserto dicitur in Iosue quod Caleph petiit illud a Iosue in hereditatem dicens: *Da mihi montem ubi sunt Enachym.*²⁶ Enachym interpretatur terribiles et signauit demones. Mons ergo in quo sunt Enachym est desertum in quo habitant demones, id est penitencia ubi uarie demonum inpunctiones sunt. Hanc debet appetere Caleph filius Iefone, id est quilibet uir strenuus ad Dominum conuersus. Caleph

²³ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob* 16.30 (CCSL 143A, 821)

²⁴ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 67)

²⁵ Os 2:14

²⁶ Ios 14:12

interpretatur quasi cor, Gephone conuersio, unde de uiro strenuo qui ex corde facit quod facere tenetur.²⁷ Dicitur uulgariter iste homo totus est cor. Vnde Caleph inter filios Isrel primo suscepit hereditatem quia cordis affectus inter omnes alios, primus a Deo inter alios recepit remuneracionem. In hoc ergo deserto ad exemplum Domini debemus permanere et uiriliter militare quia, *Milicia est uita hominis super terram (Iob)*.²⁸

[8] [P] Secundo ascendit Dominus in montem ubi predicauit et sic in primo ascensu cepit facere et in secundo docere, ut Lucas in Actibus in primo uerso: *Primum quidem sermonem et cetera*.²⁹ In hoc monte suos docuit per paupertatem, humilitatem, mansuetudinem et pacienciam et alias uirtutes mundum relinquere et in celum ascendere. Item enim ad celum quia sursum est arduum est et artum et longum. Quia arduum est oportet nos expeditos esse et leues, quia non de facili possit cum sarcinis ascendi. Vnde eo ad celum ascendentes, necesse est esse pauperes; exemplum enim paupertatis nobis dedit Dominus, qui ait, *Vulpes foueas habent et uolucres celi nidos*.³⁰ Item quia artum est, oportet quod qui per illud transit modicus sit et humilis. Arta est enim uia que ducit ad celum; exemplum modicitatis dedit nobis Dominus dicens: *Discite a me quia mitis sum et cetera*.³¹ Item quia longum est, eo ascendentes necesse est esse patientes; exemplum paciencie dedit Dominus qui *cum pateretur non comminabitur*, sicut dicit Petrus.³² Et ut ait Bernardus: 'Dominus noster Ihesus Christus durus fuit ad uerba, durior ad uerbera, durissimus ad aspera crucis tormenta'.³³ Econtra inter ad inferos quia deorsum est, profundum est et latum

²⁷ Isidorus, *Etymologiae*, 7.6.52

²⁸ Iob 7:1

²⁹ Act 1:1

³⁰ Luc 9:58

³¹ Matt 11:29

³² I Pet 2:23

³³ Cf. Bernardus, *Sermones in die pentecostes*, 2.7 (*Opera*, V, 169)

et breue. Vnde diabolus suos di- // fol. 109rb // -uiciis honorat ut cito corruant, superbia inflat ut per latum incedant^f, impaciencia frangit ut in breui deficient. Simus ergo ad exemplum et ad doctrinam Domini pauperes ut facile ascendimus per arduum, humiles et modici ut transeamus per artum, patientes ne deficiamus in longum.

[9] Tercio ascendit Dominus in montem ubi se transfigurauit ut quandam prelibacionem future glorie suis familiaribus premonstrauit, Petro scilicet et Iacobo et Iohanni et hoc prefigurans quod qui ei obediens eum preter^g idem agnoscit, et qui pro eo legitime in hac uita certauerit, et in quo eius gracia fuerit, future glorie participes erunt, quam *oculus <non> uidit nec auris audiuit et cetera*.³⁴ Petrus enim et Symon prius uocabatur interpretatur agnoscens, quia per obedienciam peruenitur ad Dei cognicionem. Augustinus 4: 'Cum cognicio et actio beatum faciant; sicut in cognicione cauendus est error, sic in actione nequicia'.³⁵ Iacobus interpretatur luctator; Iohannes in quo gracia.³⁶

[10] Quarto Dominus, appropinquante hora passionis ueniens Ierosolimam, ascendit in asinam. Asina stolidum animal est et pigrum et bene signauit peccatorem in quem ascendit Dominus cum eum a bivvio ad uiam reuocat et freno rationis eum in Ierusalem, in uisionem pacis dirigit. Is est asinus de quo legitur in Genesis: *Ysacar fortis accubans inter terminos et cetera*.³⁷ Ysacar interpretatur merces³⁸ et dicitur asinus fortis et signauit peccatorem qui de sua stoliditate ad cor rediens agnoscit se esse mercedem quam meruit. Dominus in cruce pendens qui ait: *Non ueni uocare iustos set peccatores*.³⁹ His insidet Dominus et usque in celestem Ierusalem, id est in celum adducit.

³⁴ Cf. I Cor 2:9

³⁵ Cf. Augustinus, *De agone christiano*, 13 (CSEL 41, 117)

³⁶ Cf. Hrabanus Maurus, *Allegoriae in uniuersam sacram scripturam* (PL 112, 961)

³⁷ Gen 49:14

³⁸ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 67)

³⁹ Matt 9:13; Marc 2:17; Luc 5:32

[11] Quinto ascendit in Montem Oliuarum ubi orauit patrem dicens, *Pater si fieri potest transeat a me calix iste.*⁴⁰ Per hoc innuens uoluntatem sensualitatis; set postea dicit, ‘Set non sicut ego uolo set sicut tu uis’.⁴¹ Per hoc innuens predominantem in eo uoluntatem rationis, et nos instruens ut sensualitati nostre contradicentes uoluntatem rationis imitemur que ducit ad gloriam. Eius oratio nostra est instructio ut et nos oremus sicut oportet; unde apostolus: *Sine intermissione orate,*⁴² id est benefacite. Nemo enim desinit orare nisi cum desinit benefacere. Vnde etiam bene dormiendo oramus et bene facimus, set cauendum est nobis ne oratio nostra sit imperfecta. Omnis autem oratio imperfecta est sine uerbo et omnis actio est oratio; sic ergo omnis actio imperfecta est sine uerbo, id est sine Christo qui est uerbum patris per quem facta sunt omnia.

[12] Sexto ascendit in crucem. De quo ascensu loquitur Salomon in Canticis 6: *Ascendam in palmam.* Palma enim erat lignum transuersum in cruce. Vnde pes cedrus, stipes cupressus, oliuaque summum palmaque transuersum fuit in Christi cruce lignum. In hoc ascensu nos redemit Dominus et ad se sursum de terrenis attraxit; unde in Iohanne: *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham* et cetera.⁴³ Per hoc distributum omnia; iustos tamen et bonos homines comprehendens non ligna non lapides non malos homines. Quia ut ait Augustinus: ‘Homines cum peccant, nichil fiunt’.⁴⁴ Sic ergo debemus omnis mundus relinquere et cum eo crucem ascendere ut tandem possimus fructum crucis apprehendere. Crux ista est penitencia in qua debemus pro peccatis affligi, set afflictio odiosa ualde^h est carnali homini. Vnde oportet quod uere penitentes sint uere spirituales: *Animalis enim homo*

⁴⁰ Matt 26:39

⁴¹ Cf. Matt 26:42

⁴² I Thess 5:17

⁴³ Ioh 12:32

⁴⁴ Augustinus, *In Iohannis euangelium tractatus CXXIV*, 1.13 (CCSL 36)

*non percipit ea que Dei sunt.*⁴⁵ Spiritualis homo quasi mortuus est mundo et eius conuersacio in celis est, set mortuus homo nullam carnis afflictionem sentit. Sic uero spiritualis, cui mundus crucifixus est et ipse mundo, et maxime crucifixionem Domini ad memoriam reducens et ad alta mente conscendens. Vnde Sydonius: 'Quicquid terrene afflictionis nobis propinat aduersitas, facile tolleramus, si recordemur quantum bibit ad patibulum qui nos inuitat ad celum'.⁴⁶ Et Gregorius: 'Si mens in Deum forti intencione dirigitur, quicquid in hoc seculo amarum est, dulce estimatur'.⁴⁷

[13] Septimo et ultimo ascendit in celum ubi ad dexteram patris sedet et pro nobis interpellat et huius palme fructum ibi percipiens eundem nobis preparat. Fructus palme dactilus dicitur a dactilon, quod est digitus. Qui longus est et rotundus et significat uitam eternam que quia sine fine est, longa est. Hic est fructus palme. In palma clauis confixe sunt manus Ihesu Christi et per opera passionis, // fol. 109va // uiuit nobis Dominus gloriam resurrectionis et ascensionis et spiritus sancti missionis que quod gloria est uita eterna ad quam nos perducatur et cetera.

^a miserias] *corr. ex* miseriis

^b infrenabo] infirmabo *ms*

^c fu *expung. in ms*

^d humilem] *corr. ex* humilitatem

^e mundialium] mundalium *ms*

^f incedant] incedat *ms*

^g preter] perter *ms*

^h ualde] *corr. ex* uade

⁴⁵ I Cor 2:14

⁴⁶ Cf. Sidonius Apollinaris, *Epistolae* 9.4 (PL 58, 619)

⁴⁷ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.15 (CCSL 143, 346)

T43 Ascendit Deus in iubilatione**fols 109va-110va***Ascendit Deus in iubilatione.*¹

[1] Dominus noster Ihesus Christus de natura, eciam et de natura et eciam de sinu patris descendit in sinum uirginis. Hodie ascendit et exaltauit naturam nostram sursum. Ideo oportet ut ascendamus cum ipso spiritu et amore. Ipse enim est caput nostrum et nos eius membra sumus; sicut enim membra neruis ligantur capiti, multo forcius Christo capiti nostro ligati sumus et fide et delectacione coniungimur. Cum igitur ita sit, non potest esse quin habeamus gaudium magnum fide, spiritu et amore in ipso sicut in capite nostro.

[2] Verbi gracia: Si fieres rex, corona poneretur super caput tuum, non super pedes. Si igitur caput coronatum esset, nonne ex hoc omnia membra onorata essent? Si manus possent gaudere ex honore capitis utique gauderent^a. Eodemmodo arbor: omnia eius folia et fructus sunt in eius sumitate a quibus rami, stipes, radices uirentur et ornantur. Si uero stipes et rami et radices possent gloriari ex foliorum uirore et frondium pululacione, utique gloriarent. Ita quilibet nostrum hodie gaudet de capite nostro qui est Christus; aliter non est membrorum. Ideo si simus membra, oportet quod simus leti, sicut membra nostra corporalia essent si caput esset coronatum.

[3] Natura uero humana fuit talis quod non erat digna manere in ista uili terra que est fex omnium mansionum. Homo enim tantum peccauit et tantum uilis fuit quod tota terra abluta fuit aqua, preter viii homines qui propter archam deliberati fuerunt. Eadem natura, que tunc fuit tam uilis, est nunc in celo altissimo et latissimo exaltata. Quilibet uero

¹ Ps 46:6

nostrum tantum deberet gaudere ex hoc quod non ualeret retinere infra nec aliis reuelare [infra].

[4] Excercitus angelorum uetuit homini aditum ad paradisum terrestrem.² Idem angeli ueniunt hodie et adducunt hominem ad paradisum celestem. Natura eciam que fuit tunc tam uilis audiuit hodie a patre celesti, 'Sede a dextris meis'. Peccatis propriis natura humana uilior fuit omni bruto et lapide aut aliqua alia creatura; et adhuc omnes creature fuerunt ei ad penam perpetuam, quia homo ante peccatum fuit ita quod omne quod fuit in celo et in terra fuit ei obediens set quam cito peccauit, amisit dominium omnium istorum et omnia predicta fuerunt ei in penam.

[5] Eadem natura ascensa est hodie supra omnes angelos et omnia predicta reuersa sunt hodie ad obedienciam et ad pristinum statum. Potest eciam ymaginari: Si aliqua collectio parentum istius uille amitteret totam hereditatem illorum et quilibet illorum positus esset in carcere, et unus eorum recuperaret eis hereditatem et a carcere liberaret, nonne minimus eorum contra eum gauderet? Ita quilibet nostrum deberet gaudere quod iocunditas mentis prorumpet in uocis expressione. Verba non sunt mea set prophetarum.

[6] Set quando rex gaudet et omnis plebs subiecta letificent, bene potest rex adrogare. Si essetis ex predicta nacione et ueniret qui predictam hereditatem lucraretur^b uel eius nuncius et peteret hospicium, nullus uestrum esset tam demens quin daret statim; set hic est melior et uerior amicus, scilicet Dominus noster, et cetera.

[7] Cuius sponsa est hec puella simplex, facta et a Deo amata, pro qua multa fecit miracula et petit hospicium. Tamen eciam non solum debes dare ei hospicium set facere. Si uero emis lapidem ad eius edificium totum factum, domus tibi reputabitur. Cum igitur

² Cf. Gen 3

quilibet oblongo uel quadrante hec potest facere uel bis decet ea retinere et iram eius incurrere. Si eam hodie hospitas, ipsa hospitabit ubi maior erit necessitas.

[8] Quilibet nostrum sursum tendit et nititur ascendere, set si aliquis in turrim ascenderet, nonne iaceret a se omne ponderosum et omne ponderis nocumentum. Quid igitur est quod magis ponderetur quam ista terrena? Set sciat quisque quod nullus ascenderet nisi iaceat ponderosa. Set hoc dubitabile et dolerosum est quod non sentimus nostra pondera. Verbi gracia: Si aliquis esset ita // fol. 109vb // quod massa plumbi adheret dorsa eius a natiuitate sua illo nesciente, nunquam sciret quod honeratus esset nisi illud honus deponeretur; assimili nos ponderati sumus a natiuitate amore istorum temporalium qui uetat nobis sursum ascendere.

[9] Ascendit Deus et cetera. Ascendit uero ad illud gaudium quod nemo potest aliis reuelare. Omnis Christi accio nostra est lectio. Sicut ipse carnaliter hodie ascendit, ita oportet quod nos faciamus spiritualiter. Set ipse cum ascendit carnaliter, expandit brachia et nubes clara suscepit eum et sursum eleuauit ab oculis intuencium eum. Manus in scriptura sunt opera, set si operaris, oportet quod manus sint comproporcionate; non enim decet uiro perfecte etatis habere manus pueri uel infantis uel econtrario sensus et potencia operandi. Sunt manus comproporcionate; quelibet opus bonum aut est amor ut ualeat releuare alium a miseria aut prouehere alium in bono et hee sunt due manus et ambe sunt dextre.

[10] Quidam uir sanctus fuit qui duas habebat manus dextras; ambabus istis manibus potest homo dimicare contra diabolum. Si eleuas istas manus, ascendes in celum. Si uero facias bona opera et das exemplum aliis, propter famam uel laudem, non eleuas manus ad salutem, immo ad penam. Vnde in Matheo: *Cum facias elemosinas, noli tuba canere ante te*

*sicut ypocrite faciunt ut honorificentur ab hominibus, et sequitur statim, Amen dico uobis receperunt mercedem suam,*³ et sequitur ibi, *Nesciat sinistra quid faciat dextra.*⁴ Qui uero pro Deo et uera caritate facit, dupliciter bene facit quia reficit esurientem cibo corporali et omnes uidentes eum exemplo iusticie. Vnumquodque opus ibi esse dicitur ubi terminatur intencio operantis. Si igitur intencio finitur in Deo, ibi igitur et opus; preterea ibi est amor ubi est res amata, et ubi res amata ibi et anima. Igitur si finis operis sit Deus, quietum secretum cordis, ibi et in ipso est anima tua. Non enim est uera manuum eleuacio nisi sit uera Dei dilectione.

[11] Istud figuratum fuit in Moyse quando transierat per desertum cum populo Isrelitico et uenit rex Amalec cum exercitu suo ad expugnandum contra Moysen. Moyses uero ascendit in montem et eleuauit ambas manus sursum. Quam diu eciam eleuauit manus, populus eius deuicit populum contrarium. Cum uero fessus erat et depressit manus, tunc reliquus populus ualidior fuit. Tunc uenerunt duo uiri, Vr et Aaron, et eleuauerunt ambas manus donec totus reliquus exercitus deuictus fuit.⁵ Ita nos debemus eleuare manus et omnes hostes uiciorum deuincere et sursum ad Deum tendere. Vr interpretatur ignis⁶ et significat caritatem; Aaron montanus⁷ et significat celsitudinem uite. Ista igitur duo, scilicet caritas et uite celsitudo, debent eleuare manus nostras cum simus lassati.

[12] Set plures sunt qui eleuant manus sanguinolentas et non quocumque sanguine set sanguine Ihesu Christi; manus iste non sunt Deo placabiles. Plures enim sunt qui faciunt opera misericordie et adiuuant alios bona intencione, set ista temporalia [set ista temporalia]

³ Matt 6:2

⁴ Matt 6:3

⁵ Cf. Ex 17

⁶ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 77)

⁷ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 73)

quibus adiuuant non sunt bene adquisita. Hee manus sanguinolente sunt et deformes coram Deo. Dicit Dominus per Ysaïam: In quacumque hora eleuatis manus nolo audire uos. Set homines istius uille possunt dubitare quod eorum manus sunt sanguinolente de pecunia clericorum iniuste adquisita?

[13] Si aliquis clericus haberet xx marcas et cogitaret duas deponere ad luctum pauperum et si homines auferant istas ab eo iniusta condicione domus et uendicione aliarum rerum, nonne isti auferunt luctum pauperum? Vtique quilibet potest dicere quod reffectus et uestitus est ex sanguine pauperum et eciam quod eorum sanguis est in manibus et in domibus eorum. Set audiant quid dicit Dominus in Apocalypsi 22: *Ego ueniam cito et merces mea mecum est reddere unicuique iuxta opera sua.*⁸ Et Ysaïas 28: *Ponam iudicium in pondere et iusticiam in mensura.*⁹ Set qui tales // fol. 110ra // in fonte sapiencie qualis erit eorum pena? Vtique eo grauior et intolerabilior.

[14] Et nota quod manus unitas et integritas^c dispertitur in quinarium digitorum. Sic totum opus bonum dispertiri debet in v, quia totum opus debes Deo creatori, totum Christo redemptori, totum celo acquirendo, totum peccato purgando, totum proximo miseria subleuando uel in bono promouendo cuilibet. Sursum nitens est apodians super aliquid. Si igitur uultis ascendere, oportet apodiare super aliquid non super sensum uel uoluptatem uel aliquod terrenum^d set super potenciam Christi et spiritus sancti et super scienciam sacre scripture. Nos debemus hodie ascendere in clara nube et gradatim, sicut fecit Dominus.

[15] Primo enim ascendere in aerem, postea in ethera et sic sursum ad celum. Qui et quod, quot sunt gradus quibus debemus ascendere? Figurati sunt in Ezechiele per octo

⁸ Apoc 22:12

⁹ Isa 28:17

gradus quibus homines ascendebant in templum quod significat celum.¹⁰ Qui sunt isti gradus Beda et Petrus nobis ostendunt. Hi scilicet fides, bona operacio, sapiencia, abstinencia, paciencia, pietas, fraternitas, caritas. Quicumque in hiis gradibus graditur, patenter patebit ei intrahitus ad regnum celorum.

[16] [P] Fides est fundamentum omnium uirtutum^e et bonorum operum. Fides eciam est uia^f qua uita gracie currit ab eo qui est uera uita, sicut sanitas et uigor manus currit per uenas et neruos a capite. Nulla oracio uel actus ualet, immo peccatum est, nisi radicatur ex fide; unde *Sine fide impossibile est placere Deo*,¹¹ et alibi, *Quicumque ex fide non fit peccatum est*.¹² Fides est potencior omni creatura. Fides est per quam populus Isrel transibat per medium maris rubri, per quam eciam Sarra peperit contra suam^g naturam. Fides eciam est que omnes saluat a morte eterna, sine qua nemo uiuit. Fides est ualidior omni creatura et est saphirus quo fiunt miracula. Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iusticiam, adepti sunt repromissiones. Gradus iste pulcer est et mollis ad gradiendum. In eo describitur tota uita Domini nostri et omnes articuli fidei et omne gaudium futurum.

[17] Set quia *Fides sine operibus mortua est*,¹³ sicut si corpus mortuum esset, non posset mouere, ideo merito secundus gradus qui est bona operacio sequitur fidem. Gradus iste decorus est; in eo picturantur omnia opera misericordie: quomodo pauperes pascantur et uestiuntur et cetera. Magna consolacio est illud quod Dominus dicit in euangelio, quod *uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* et cetera;¹⁴ et quod centuplum accipiet^h.¹⁵ Recole mercedem futuram et quod das Domino, das pauperi. Recole ergo quod Dominus pascit te

¹⁰ Cf. Eze 40:31

¹¹ Hebr 11:6

¹² Rom 14:23

¹³ Iac 2:26

¹⁴ Matt 25:40

¹⁵ Cf. Matt 19:29

non solum pane materiali, set corpore proprio in similitudine panis et quod sanguine suo potat non eciam ad uitam istam, set ad eternam et tu non uis pro amore eius pascere pauperem. Ipse eciam descendit non solum in uterum uirginis set in tenebrosum carcerem inferni ut adquiret tibi regnum celorum et tu non uis hospitare in angulo domus tue. Ipse induet te caritate et corporis dotibus et anime et tu non uis induere pauperem sacco.

[18] [P] Tercius gradus est sciencia et nota quod duplex est sciencia. Vna que mouet ad actum ut sciencia mechanica; alia que non mouet ad actum. Illa uero que mouet ad actum magis addicitur faciendo quam audiendo. Ita sciencia bene operandi magis scitur operando quam audiendo. Ideo sequitur iste gradus qui facit hominem se cognoscere et nichil boni ex se habere, et eciam in qua pena est et in quibus peccatis. Quod eciam ualet cum apostolo dicere: *Cum omnia bona fecerimus dicamus quod serui inutiles sumus.*¹⁶ Qui eciam in isto gradu est, uidet quod est uadens et non rediens et quod habebit in futuro aut gaudium aut penam. Hec est maxima sciencia, scilicet scire quid sibi prodest et quid nocet. Si perfecte uides necessitatem tuam, de necessitate moueberis ad necessitatem alterius.

[19] Set plures, cum qui scrutantur quomodo firmamentum mouet et quomodo sol et luna et cetere planete, set quod magis necessarium est, scilicet cognoscere seipsos, penitus relinquunt. Si eciam aliquis interrogaret quidem quod melius est in homine forte diceret quod amor ordinatus. Ergo omnis homo deberet meditari et totam curam inponere ut eius amor esset in proprio statu et non gustus uel cetere complexiones. Set plures nituntur scire quomodo amor scit et comprehendit intellectu, set non quomodo diligit. Quod nunquam potest sciri nisi diligendo; in cognoscendo dilectionem propriam haberes dilectionem // fol. 110rb // Dei ex regulis diligencie sicut si quis agnosceret miserias proprias et recoleret

¹⁶ Cf. Luc 17:10

iniciium sui et finem et omnes penalitates quibus addictus est nulle uoluptati consentiret. Si haberem domum uel edificium quod multas haberet causas ruine et non posset resartiri nisi in uno loco, nonne demencia esset multum cogitare circa alia loca et illum locum dimittere? Ita est anima nostra que multas habet causas ruine set non potest reparari nisi amore ordinato; igitur multa demencia est cogitare de eius impertinenciis.

[20] [P] Quartus gradus est abstinentia set nichil magis inducit in hominem abstinentiam, sicut cognicio sui ipsius, quod sapiencia et memoria mortis. Salomon: Memorie nouissima et cetera.¹⁷ Et ideo iste gradus de necessitate sequitur predictum. Gradus iste pulcerrimus est; in eo picturatur quomodo ieiunium cecidit gulam, sobrietas ebrietatem, castitas luxuriam, uigilia anime egritudines, peregrinacio ocia et quomodo quelibet uirtus suum uicium sibi contrarium. Si cogitares quid uoluptas tibi faceret nunquam ei consentires. Exemplum ad hoc. Si esses securus in castro firmissimo et non dubitares [et non dubitares] de aliquo et mulier ueniret ad portam etⁱ diceret tibi, ‘Veni foras et fac de me totam uoluntatem tuam’ et si consentires ei, inimici tui uenirent incerte ad castrum et iacerent te et ipsam in puteum profundissimum. Si iterum aliquo ingenio posses esse in pristino statu, nonne dementissimus esses si eidem mulieri iterum consentires? Vnde Salomon, loquens de muliere dicens: *Fauus distillans labia* eius nouissima quasi gladius acutus.¹⁸ Nos omnes fuimus in paradiso; uoluptas dixit Ade, ‘Veni’ et cetera. Vnde cecidit et nos cecidimus duplici casu in penas huius mundi et inferni. Stultus est qui tantum ei adquiescit. Si terra seminata esset frumento et inimicus ueniret postea et seminaret uiru, nonne fatuus esset qui colligeret uenenum et dimitteret frumentum? Dominus seminauit in

¹⁷ Eccli 7:40

¹⁸ Cant 4:11

terra corporis tui uirtutes; omnis a diabolo uenit que est defectio uite, ergo et cetera.

Preterea ad idem, si uasus deficeret in aliquo, stultus esset qui magis delectaret in illo defectu quam in toto uaso.

[21] [P] Quintus gradus paciencia in qua describitur tota uita Christi et omnis fortitudo martirum et omnium sanctorum; et abstinencia impotens est nisi sit ibi paciencia. Ideo merito sequitur paciencia abstinenciam. Exemplum: Si aliquis circuitus esset scuto adamante quod esset impassibile contra omnimodos^j insultus, et non solum defenderet ab insultibus set remitteret omnia arma in datorem. Assimili, qui habet ueram pacienciam habet scutum predictum. Memoria passionis Christi potest esse materia huius scuti; eius uero recordacio nostrorum laborum est alleuacio. Vnde Gregorius: Quem laborem honorosum reputabit et superfluum qui Dei unigenitum pro se recolit crucifixum.¹⁹ Dicit eciam Sidonius: Quicquid terrene afflictionis, et cetera.²⁰ Qui sic armatus esset scuto predicto et occidere posset omnes inimicos propriis ictibus et iactaret scutum ab eo uel ira uel tedio et curreret nudus siue inermis inter inimicos, nonne stultus esset? 'Nobis propinet aduersitas, facilius tolleramus si recordemur quanta pro nobis sustinuit ad patibulum qui nos inuitauit ad celum'.²¹ Assimili, stultus est qui iactat a se scutum paciencie. Eodem modo si aliquis mouetur^k ad iram, stulti eum aspicientes dicunt quod ualidus est. Si stat et non mouetur^l ad iram, statim menciuntur de eo. Eodem modo si aliquis diceret clerico 'Tu es trutannus', statim erumperet in iram et cetera. Set in hoc gradu fuerunt omnes martires de quibus canit ecclesia. Ceduntur gladiis more bidencium; non murmur resonat nec querimonia et cetera.²² Si aliquis interrogaret quid esset quod magis amas et nolles amittere,

¹⁹ non inu

²⁰ non inu

²¹ Cf. Sidonius Apollinaris, *Epistolae*, 9.4 (PL 58, 619-620)

²² non inu

diceret forte te ipsum et animam tuam. Paciencia est quod conseruat te in possessione tua, unde *in paciencia uestra possidebitis animas uestras*.²³ Nonne turpe et ingnomiosum est quod uentus qui non exsuflaret plumam a loco et suflat te ultra mare donec acceperis uindictam?

[22] [P] Sextus gradus est pietas. Set sciencia uel paciencia non ualet nisi sequatur benignitas, unde apostolus: *Caritas paciens est, benigna est*.²⁴ Vera benignitas est largiri bona illi qui facit tibi mala. In hoc gradu depingitur quicquid depingitur in secundo gradu, scilicet opera misericordie et cetera. Et adhuc magis, scilicet quod dat bonum illi qui abstulit sua; in hoc imitatur Dominum qui adeo bene *facit solem suum oriri super // fol. 110va // malos quam super bonos*.²⁵ Si aliquis faceret tibi malum, uellesne maiorem uindictam quam ipsum occidere? Nullus uero odit Dei creaturam uel hominem quia homo set odit eius maliciam. Eius malicia occiditur cum fit bonum contra eius maliciam. Hoc est uulnus mortiferum, facere bonum contra malum. Quedam arbores sunt que habent folia in ieme; adeo uirides sunt in tempestate sicut in temporis tranquillitate^m. Per has arbores boni qui faciunt opera predicta significantur. Alie arbores sunt que amittunt folia et fructus uento. Ita mali amittunt bona opera propter uentum temptationis. Adueniente eis die tempestatis ire Dei; non erit eis munimen nec ornamentum folii uel fructus. Palma semper uiridis est et significat uictoriam.

[23] Septimus gradus est fraternitas siue amor proximi, et quia pietas pertinet ad miserie releuacionem et ad proximi amorem, ideo sequitur gradus iste predictam. In hoc gradu descripta sunt omnia opera misericordie. Gradus iste ligamentum est et cementum omnium

²³ Luc 21:19

²⁴ I Cor 13:4

²⁵ Matt 5:45

aliorum. Perfectio amoris fratris est dare uitam pro amico et eciam pro inimico. Vnde in euuangelio: *Maiorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*²⁶

In hoc gradu sunt omnes apostoli et martires et eciam ad hoc ut omnes essent fratres.

[24] Post hoc non sequitur nisi amor Dei. Hic est ultimus et perfectior gradus pro quo omnes alii debent fieri. Non potest plus quis ascendere alcius nisi ad Dei amorem. In hoc gradu describuntur omnes regule recte uiuendi. Hec sunt que debent mouere hominem ad hunc gradum. Debet enim quilibet meditari si heleuaretur ab infimo ad summum, a uinculo ad infinitum, a turpissimo ad pulcerrimum. Quantum est inter hec distancia, tantum eciam amoris cumentum debet excrescere. Et quia in se nichil habet ex se, set quantum in se est in nichilum et ad uero esse tendit, igitur, cum minima creatura debet laudare Deum, multo forcius et manifestius et infinite infinicius debet homo; in cuius manu traditum est Dominum et discrecio omnium istorum magis quam millesies uel infinicies uitam istam amare. Si eciam omnes creature et eciam mille uite darentur tibi, deberes Deum amare et super omnia predicta infinicies appetere. Omnia uero predicta deberes dare, pro sola redempcione ab inferno ad celum.

[25] Multum amares eum qui hic daret tibi regnum terrenum. Set plura possunt reperiri in te ex quibus non dares minimum eorum pro regno, ut uisum, tactum, auditum, racionem, intellectum, memoriam et huiusmodi. Si eciam Deus auferret oculos tuos et daret tibi iterum, plus amares ipsum quam primo, tamen minus amandus non est. Dominus uero omnia predicta nobis confert et eciam plures seruietes ministros nobis ex quibus non daremus minimum eorum pro regno terreno. Propter quid daret ministerium aeris per

²⁶ Ioh 15:13

spacium unius diei deberemus si tam leues esse uersus Deum ut egipticus fuit qui aduolauit

nebulo.

-
- ^a gauderent] gauderet *ms*
 - ^b lucraretur] licraretur *ms*
 - ^c integritas] integras *ms*
 - ^d sensum *expung. in ms*
 - ^e uirtutum] uirtuum *ms*
 - ^f uia] uenia *ms*
 - ^g suam] sua *ms*
 - ^h accipiet] accipitet *ms*
 - ⁱ de aliquo *expung. in ms*
 - ^j omnimodos] omnimodas *ms*
 - ^k mouetur] mouet *ms*
 - ^l mouetur] mouet *ms*
 - ^m tranquillitate] *corr. ex tranquillitatie*

T44-45 Iudith una mulier hebrea**fol. 112ra-va**

*Iudith una mulier hebrea fecit confusionem magnam in domo Nabugodonosor (Iudith xiiii).*¹

[1] Iudith interpretatur confitens uel glorificacio² et significat beatam Caterinam que confessa est Christum coram Maxentio et ceteris prophetis multis; unde exclamabat^a Christum, preter quem nil uenerandum erat, eciam mulier per spiritualium prolium fecunditatem. Genuit enim retores Deo efficiens testes fidei quos pertulit hostes; erat eciam una per concordiam et amorem; unde quando alii afflicti negaturi erant Deum, doluit quasi sibi molestiam inferri erat, eciam faciens confusionem illam, inquam de qua in Ecclesiastico: *Est confusio, scilicet ducens ad gloriam,*³ quando scilicet, retores erubescere faciebat eo quod falsis diis crediderunt. Set hoc in domo Nabugodonosor, id est in domo Maxentii qui ratione interpretacionis erat Nabugodonosor, eo quod malus erat. Nabugodonosor enim interpretatur sedens in tristicia^b et significat quamlibet malum qui sedet in tristicia, id est in ea moratur.

[2] Quantum enim quisque homo sit diues, si sit peccator, habet forinsecam gloriam set est domesticum periculum, sicut ioculatores qui extra domum satis habent, domi parum aut nichil. Vnde psalmista in persona malorum, *Habundantes sunt in egressibus suis,*⁴ et in persona consimilium dicit, *Tota die contristatus ingrediebar,*⁵ id est intus gradiebar. Hoc^c

¹ Iudith 14:16

² Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 67)

³ Eccle 4:25

⁴ Ps 143:13

⁵ Ps 37:7

mirum si mali sint in tristitia cum tortorem habent familiarem, scilicet conscienciam; unde Augustinus dicit: 'Iusisti Domine, et ita est, ut pena sit sibi omnis inordinatus amor'.⁶ Item sedent in tristitia tot propter torquentis ineuitabilitatem. Item dicit Seneca: Nullum consortium peccatorum tuorum magis timueris te ipsum; alium enim fugere potes, te ipsum nunquam.⁷

[3] [P] Ad idem beatus Augustinus: 'Heu me miserum et nimis miserum. Nimis miser est quem torquet consciencia quam effugere quis non potest'.⁸ Hoc uiso quomodo fecit confusionem in domo Nabugodonosor, nos idem intendentes exemplo eius sumus Iudith, id est confitentes, et opera, unde Christus glorificetur, facientes. Vnde in Ihesu sic luceant opera nostra coram hominibus ut glorificent patrem nostrum qui^d in celis est.⁹ Verbo enim solummodo Christum confitentes similes sunt ioculatoribus qui *gladium spiritus quod est uerbum Dei*¹⁰ habent in ore et non in operatione; unde psalmista: *Gladius in labiis eorum est quoniam quis audiuit.*¹¹

[4] Item tales sunt similes alios intoxicare uolentibus qui alios uolunt imbuere doctrinis sensus et sibi^e nichil uolunt gustare, unde in Parabolis v: *Bibe aquam de cisterna tua,*¹² influent et postea, *Diriuentur fontes tui foras.*¹³ Item similes sunt tales regi Achab de quo in iii Regum xx: Qui concessit regi Sirie, id est diabolo, super se dominium, non autem super suos.¹⁴ Ita mali prelati qui subiciuntur diabolo per peccata, suos autem subici non patientes.

⁶ Augustinus, *Confessiones*, 1.12 (CCSL 27)

⁷ *non inu*

⁸ Cf. Ps-Augustinus (Anselmus), *De contritione cordis*, 4 (PL 40, 945)

⁹ Cf. Matt 5:16

¹⁰ Eph 6:17

¹¹ Ps 58:8

¹² Prou 5:15

¹³ Prou 5:16

¹⁴ Cf. III Reg 20

Simus igitur Iudith non solummodo Christum confitentes set eciam glorificantes scilicet bonis operibus ne hiis tribus generibus hominum assimilemur.

[5] Simus ergo mulieres per spiritualium prolium fecunditatem (spiritualium prolium id est bonorum operum) et inpregnemur a Domino per gracie infusionem, concipiamus per bonam uoluntatem, peribimus per bonam operacionem ut dicit in Ysaias xxvi: *A facie tua Domine concepimus et quasi parturiuimus et peperimus spiritum salutis.*¹⁵ Et nota quod sicut iuuenes tantummodo mulieres a uiris concipiunt, sic eciam iuuenes bonum opus a Deo ad perpetuandum concipiunt. Vix enim Sarra peperit anus.¹⁶ Et nota quod mulier cum peperit in dolore parit; ut dicit Dominus: *Mulier cum parit tristitiam habet, et postea, Pressure non meminit quia natus est homo in mundo.*¹⁷ Sic homo quod ad agendum concipit, in primo dolorem habet set postea gaudet. Vnde Augustinus: 'Differebam de die in diem uiuere in te Domine et non differebam cotidie in memet ipso mori. Amans beatam uitam, timebam eam in sede sua et sic querens eam fugiebam ab ea'.¹⁸ Ecce quasi dolor in partu, set quid postea dixit, attendamus: 'O amor qui semper ardes et nunquam extingueris^f,¹⁹ tarde noui te, tarde ueni ad te. Attendendum^g est eciam quod conclamat^h Dominus: *Ve prenatibus // fol. 112rb // in die illa (Luc xxi).*²⁰

[6] Item sciendum quod stulta esset mulier illa que a uiro impregnata esset et parere posset, per quem partum fieri posset domina et regina totius mundi, stulta esset que consuleret mulierem ut faceret abortiuum. Sunt et clerici qui impregnantur a gracia Dei ut mundo abrenunciarent, per quam abrenunciacionem sessuri sunt *super sedes iudicantes xii*

¹⁵ Isa 26:18

¹⁶ Cf. Gen 18

¹⁷ Ioh 16:21

¹⁸ Cf. Augustinus, *Confessiones*, 6.11 (CCSL 27)

¹⁹ Augustinus, *Confessiones*, 10.29 (CCSL 27)

²⁰ Cf. Luc 21:23

*tribus Isrel.*²¹ Qui sapientes clerici consulunt; qui consilium petunt conceptum in eis frequenter necant. Vnde Bernardus: 'Egiptiaca malitia est et Herodiana seueritas paruulos Isreliticos alidere et nascentem Christum persequi'.²² Ille uero persequitur Christum et occidit qui uolentem se saluare et Christum imitari a proposito auertit. Set attende quod talium consiliis uere est adquiescendum. Dicit beatus Ieronimus quod: 'Domino passuro timide consulens Petrus scandalum fuit.'²³ Paulus retinentibus sociis ne Ierosolimam pergeret, respondit: *Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego non solum alligari et et mori paratus sum in Ierusalem*^{24, 25}.

[7] Item multi necant fetum istum conceptum consulendo per sapienciam mundanam. Vnde Bernardus: 'Quantos multos huius mundi sapientia maledica subplantat et conceptum in eis extinguit spiritum, quem uoluerat Dominus in terra uehementer accendi? Dicit eciam sapientia huius mundi, Noli, inquit, precipitanter agere, diu considera, diligencius intuere. Magnum est quod proponis et opus habens multa deliberacione. Et experire quid possis, amicos consule, ne post factum fecisse peniteas. Hec sapientia animalis, terrena, diabolica, suffocatrix uite, inimica salutis, mater tepiditatis. Vocat magni consilii angelus: Quid aliena consilia postulans? Quisueⁱ sapiencior, quisue fidelior? Seduc me, Domine, et seducar'.²⁶ Vt autem pariamus, faciamus sicut uxor Finees que *audito nuncio quod capta esset archa et quod mortuus esset socer eius et uir, incuruauit se et peperit* (in quarto Regum tercio).²⁷ Ita

²¹ Matt 19:28

²² Cf. Bernardus, *Sermones in epiphania Domini*, 3.3 (*Opera*, IV, 306)

²³ Cf. Matt 16:22-23

²⁴ Act 21:13

²⁵ Hieronymus, *Epistolae*, 14.3 (CSEL 54, 48)

²⁶ Cf. Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de Colloquio Simonis cum Iesu*, 27 (PL 184, 455-56)

²⁷ I Reg 4:19

et nos audita morte socii nostri quod concepimus debemus parere, id est in opus bonum perducere.

[8] Item mulieres sunt deuote et nos debemus esse deuoti. Et nota quod non sunt theologis quandoque duriores nec indeuociores; unde forsitan ideo data est lex in tabulis lapideis insignum quo ipsi qui haberent legem scriptam in cordibus suis duri sunt et lapidei. Ita est enim de artistis et theologis sicut de ruralibus et de ciuilibus qui accedendo semel in septimana ad potum, id est ad tabernam, inebriantur; ciues autem qui cotidiee, non. Deuocionis autem sunt due partes: aspernatio in peccatis et pusillitas in lacrimis. Bene ergo debemus aspernare siue uitare peccata ut Ambrosius: Ve tibi, amaritudo peccatorum meorum pro qua tollenda tanta amaritudo mortis Christi erat necessaria. Domine Ihesu non tantum tua uulnera set mea doluisti quia non parte <mea> set pro me in cruce uiliatus es.²⁸ Dauit in signum huius maledixit loco ubi Ionatas socius suus occisus erat dicens, *Montes Gelbe nec ros nec pluuiie* et cetera (in secundo Regum primo capitulo).²⁹ Lacrimari autem debemus set multi more pueri a lacrimis impediuntur per sonitum peluis; ita multi per sonitum falerarum impediuntur ut non possint deflere peccata.

[9] Quomodo autem quis lacrimas posset reperire calidas, ut in Genesi xxvi: *Qui Ana inuenit aquas calidas in solitudine cum pasceret asinas Sebeon patris sui.*³⁰ Ana interpretatur respondens Domino et significat quemlibet clericum qui debet respondere Dei flagellis per pacenciam, Dei exemplis et sanctorum per imitationem, eius beneficiis per graciaram acciones. Dicit enim beatus Bernardus quod, 'Omnium fontium et fluminum est

²⁸ non inu

²⁹ II Reg 1:21

³⁰ recte Gen 36:24

origo mare, et graciaram et scienciarum est Dominus. Ad locum ergo unum exent dona graciaram, redeant ut iterum fluant'.³¹

[10] Iste debet pascere asinas, id est laicos more asinorum, qui in posterioribus, id est temporalibus, fortes pascere inquam predicacione et oracione asinas, dico Sebeon qui interpretatur stans in dolore et significat Christum qui stetit in dolore in cruce. Copiosa enim apud eum fuit redempcio, ut dicit beatus Bernardus, 'prorsus non gutta set copia de corpore Ihesu per v partes emanavit'.³² Sufficeret una preciosissima sanguinis gutta ad redempcionem totius orbis set data est copia ut uirtus diligitis // fol. 112va // in beneficii redundacione clarescet^j. Hoc^k igitur est mirum si in dolore stetit, qui tam nobile precium dedit pro animabus et tam paucas accipit, unde dicit per Micheam: *Ve mihi quia factus sum quasi qui colligit spicas in autumpno*.³³ Colligenti spicas ita se conparat Dominus ob saluandorum paucitatem, ob collectorum difficultatem. Qui enim spicas colligit frequenter manus et pedes ex --er---s^l sanguinolentas efficit. Item ob collectorum in fine amissionem. Sicut enim qui colligit spicas tota die vi messoris in fine diei^m committit, ita Dominus vi messoris, id est prelati mali amittit. De hac collectione et Ysaias: *Brachium Domini, id est filius, spicas legit*.³⁴

[11] Ita debemus esse mulieres per spiritualium prolium iocunditatem et per deuocionem set sumus multi perornatum. Et nota quod peccant qui se exquisitis uestibus ornant subditos ad cupiditatem inflamando; eo enim quod ipsi ita uestiuntur subditi ut sic uestiantur accenduntur. Item peccant eciam sic eos uestiendo familiares pauperes excludendo. Non enim ausi sunt pauperes debiliter uestiti ad eos accedere securi. Item peccant duabus

³¹ Cf. Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 13.1 (*Opera*, I, 68)

³² Cf. Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 22.7 (*Opera*, I, 133)

³³ Cf. Mich 7:1

³⁴ Cf. Isa 17:5

rationibusⁿ se obligando, unde Bernardus: ‘Anuli, tintinabula, clauateque corrigie, multaue talia, tam coloribus speciosa, quam ponderibus preciosa, equorum dependent ceruicibus; nec fratrum lateribus semiscinciam miserantes aponitis. Omnia hec dum negociacionis studio, nec proprium manuum exercicio uobis elaborastis^o, set nec iure hereditario possidetis, nisi forte dicitis in cordibus uestris: *Iure hereditario possideamus sanctuarium Dei.*³⁵ Non ausi sunt aduersus uos causari qui necesse habent in terris potius pro sua uita supplicare. Ceteri stabunt *in magna constancia aduersus eos qui se angustiauerunt* (Sap v),³⁶ stante pro eis patre orphanorum et iudice uiduarum’.³⁷

[12] Sequitur debemus esse Hebrei, id est mundum transeuntes, quia ut Osee quarto: *Non est misericordia, non est sciencia, non est ueritas in terra.*³⁸ Non est misericordia: ecce quod est crudelis; eciam est utique primo blandiendo, in fine spoliando, nemini parcendo non eciam Christo. Non est sciencia: ecce quod fatuus est malos exaltando in Ecclesiastico:³⁹ *Vidi seruos in equis et principes quasi <seruos> ambulantes super terram;*⁴⁰ magna pro paruis istis commutando, id est celestia, que magna sunt, pro istis que non sunt nisi quasi adiacentia. Secundum illud, euangelia prima que --^p Dei, et postea: Hec est ad uobis signata, eciam pro signis alternando celestia, pro istis que non sunt nisi quasi signa. Vnde Augustinus: ‘Nutus tui omne^q creaturarum decus’.⁴¹ Et alibi: ‘Interrogabam lunam et stellas de Deo meo, et dixerunt mihi quia non sum ego set ipse fecit nos’.⁴² Item non est ueritas: ecce quod falsa est promissa non complendo, unde Bernardus: Diuicie

³⁵ Cf. Ps 82:13

³⁶ Sap 5:1

³⁷ Cf. Bernardus, *Epistolus de moribus et officio episcoporum* (Ep. 42), 2.7 (*Opera*, VII, 106)

³⁸ Os 4:1

³⁹ End of T44, start of T45

⁴⁰ Eccle 10:7

⁴¹ Augustinus, *De libero arbitrio*, 2.16 (CCSL 29)

⁴² Cf. Augustinus, *Confessiones*, 10.6 (CCSL 27)

temporales mendacia sunt: promittunt dominium et seruum faciunt; promittunt saturitatem, et inaniunt; securitatem, et timorem incutiunt; delicias et diuicias, et pinguunt.⁴³ Debemus esse unum per concordiam; coniunctioni eciam accidit potestas. Item propter ad gaudium assumptionem. Vnus enim assumetur, scilicet ad gaudium, et alter relinquitur ad penam, id est diuisionem faciens. Item propter celestis patrie assimilationem quia ut discamus in terris quid facturi sumus in celis Amen.

^a exclamabat] exclamnabat *ms*

^b tristicia] tristicicia *ms*

^c hoc] hec *ms*

^d qui] que *ms*

^e sibi] mihi *ms*

^f extingueris] extinqueris *ms*

^g attendendum] atten demum *ms*

^h conclamat] conclamatur *ms*

ⁱ quisue] quis es *ms*

^j clarescet] clarescent *ms*

^k hoc] hec *ms*

^l --er---s] *non pot. legere*

^m diei] dei *ms*

ⁿ duabus rationibus] due rationis *ms*

^o elaborastis] elaborasti *ms*

^p --] *non pot. legere*

^q omne] omni *ms*

⁴³ *non inu*

T48 Posui tibi aquam et ignem

fol. 113rb-114vb

Posui tibi aquam et ignem ad quod uolueris porrige manum tuam in Ecclesiastico xv.¹

[1] Ante hominem uita et mors, bonum et mala quod uoluerit dabitur illi; quecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Que scripta sunt est liber gracie, liber nature, liber scripture; omnia que scripta sunt in istis libris ad nostram doctrinam sunt.

[2] In libro autem nature scribuntur multa, et omnia ad nostram doctrinam scripta sunt quia quelibet natura est quasi litera ad cognoscendum creatorem quia quelibet creatura dicit, 'Deus me fecit', set solum peccatum dicere non potest 'Deus me^a fecit'. Et ita mundus est liber nature et dicitur mundus Cariacephel, que interpretatur ciuitas literarum.² Set pauci sunt qui sciunt simillitare set quasi pueri qui delectantur uidere literas aureas set simillitare nesciunt, id est cognoscere qualiter Deus cognoscitur, in qualibet creatura, et tales pueri sunt, scilicet amantes mundi quia puerilia amant.

[3] Et est liber gracie de quo dicitur in Apocalypsi est *liber scriptus intus et foras*.³ De isto libro dicitur in Ecclesiastico: *Hec omnia continet liber uite*.⁴ Si ergo continet omnia liber uite, stultus est qui alium librum querit; talis non fuit Paulus qui dicit: *Nichil me reputo scire inter uos nisi Christum et hunc crucifixum*.⁵ De hoc libro dicit Ysaias viii: *Sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis*.⁶ Libris grandis fuit Christus secundum diuinitatem, scriptus stilo Dei quia Deus est^b omnia sciens sicut

¹ Cf. Eccli 15:17

² Cf. Iosue 15:15

³ Apoc 5:1

⁴ Eccli 24:32

⁵ Cf. I Cor 2:2

⁶ Isa 8:1

pater. Scriptus talis fuit interpretatur stilo hominis quia crucifixus et passus et ita scriptus stilo hominis.

[4] In hoc libro, sicut in aliis, est materia, titulus, ordo. Materia huius libri est reconciliatio generis humani. Titulus istius libri Ihesus Nazarenus rex Iudeorum. Qui uero nec est Nazarenus per floris nouitatem neque Iudeus per peccatorum confessione, titulum istius libri ignorat. Ordo istius libri est: cepit Ihesus facere et docere; prius pauper esse, postea diues; prius humiliari, postea exaltari. Qui autem istum ordinem non seruant Antichristi sunt, et quia ordinem non seruant, ibunt in illum locum ubi nullus ordo et cetera.

[5] Est liber scripture de quo dicit Iob xxxi: *Quis mihi tribuat adiutorem in desiderium meum compleat omnipotens et librum scribat ille qui iudicat ut in humero meo parcam et circumdam illum quasi coronam mihi, per singulos gradus meos pronuntiabo illum.*⁷ Bene dicit // fol. 113va // ‘adiutorem’, quia sine gracia, nichil possumus facere. Vnde in Genesi xli: *Sine imperio Ioseph in terra Egipti non erat qui moueret pedem nec manum.*⁸ Et ideo: *Domine da mihi sedium tuarum assistritem sapienciam,*⁹ ut mecum sit et mecum ambulet uel laboret, in Sapiencia ix. Bene dicit ‘ut portem istum in humero meo et sedit ut circumdabam illum quasi coronam mihi’, quia dicit Gregorius ibi, ‘Precepta euuangelii portata in operacione, coronant in remuneracione’.¹⁰ Et nota quod dicit ‘per singulos gradus meos pronuntiabo illum’, quia non licet habere doctrinam in operacione nisi habeamus in doctrina et amonicionem; unde in Daniele xii: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; quia iusticiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stella in perpetuas*

⁷ Cf. Iob 31:35-37

⁸ Cf. Gen 41:44

⁹ Sap 9:4

¹⁰ Gregorius, *Moralia in Iob*, 22.19 (CCSL 143A, 1125)

eternitates.¹¹ De doctrina istius libri dicit Seneca: 'In scolis addiscimus non uiuere set disputare ut lingua sit erudita, cor infatuatum'.¹²

[6] Rogemus^c ergo Dominum ut sic doceamus in hoc libro, Christum ipsum uerum Deum cognoscere possumus et melius cognoscemus in hoc libro Deum in affectu qua intellectu, quia liber amoris est et melius legitur in libro amoris affectu quam intellectu.

[7] [P] *Posui tibi aquam et ignem et cetera*. Dominus, ad modum bone matrone uolens mundare nata sua contra natale, aquam et ignem apponit; aquam ad lauandos sordes, ignem ad tollendas fetores. Ita Dominus qui est paterfamilias, ut dicit apostolus habens in domum suam, id est in ecclesiam, *uasa aurea argentea et fictilia* (ad Timotheum ii).¹³ Hec uasa aurea sunt theologi^d quia rubicundi per uoluntatem martirii, quia Martinus non defuit martirio set martirium defuit Martino. Sunt autem uasa ponderosa et preciosa, unde in psalmo: *In populo graui laudabo te*.¹⁴ Vasa autem argentea sunt decreciste qui causas uidue defendunt, set multi sunt de quibus dicit Iob *principes infideles causa uidue non ingreditur ad eos*.¹⁵ Vasa fictilia sunt pauperes et artiste set Dominus quasi prudens paterfamilias eque utitur fictilibus ut preciosis. Ista autem uasa mundat Dominus non tantum a peccatis set eciam a fetore peccatorum et ideo apponit Dominus aquam et ignem: aquam, id est, ad tollendam maculam; ignem ad tollendam fetorem.

[8] Set heu modo conqueritur Dominus per Ezechielem xxiii: *Multo labore sudatum est nec exiuit ex nimia ea rubigo eius*;¹⁶ et in eodem xii: *Domus Isrel, uersa*

¹¹ Dan 12:3

¹² Cf. Seneca, *Epistolae Morales*, 95.13 (OCT, 385)

¹³ II Tim 2:2

¹⁴ Ps 34:18

¹⁵ Cf. Isa 1:23

¹⁶ Eze 24:12

*est mihi in scoriam; es et ferrum uniuersi corrupti sunt.*¹⁷ Defecit sufflatorium, consumptum est plumbum, frustra confluit conflator, malicie eorum non sunt consumpte. *Argentum reprobum uocate eos* (Ieremias vi).¹⁸

[9] In fine modo uideamus qualiter primus aduentus dicatur aqua secundus ignis: aqua non ledit manum, ignis ledit; sic Christus in primo aduentu uenit iudicari, in secundo ueniet iudicare. De primo aduentu dicit Ecclesiasticus xxiii: *Ego sapientia quasi trames aque quasi fluius Dorix et quasi ductus aque exiui de paradiso.*¹⁹ Ecce quomodo primus aduentus comparatur aque et nota quod dicit 'trames aque'; trames aque purior est aqua, citius currit et in medio uia est uanis, obstacula rumpit, leuia secum trahit. Purior est aqua quia Christus est agnus sine macula corporis et uelleris; citius currit quia *exultauit ut gigas, ad currendam uiam,*²⁰ in medio quia ipse est lignum in medio paradisi eque distans ab omnibus; uita est uanis quia *ego sum uia, ueritas et uita.*²¹ Omnia obstacula rumpit quia data est ei potestas in celo et in terra. Dicitur trames a traho, trahit, quia omnia secum trahit, unde *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.*²² Set principes pharonis non traham quia *submersi sunt quasi plumbum in aquis uehementibus.*²³ Tales sunt amatores mundi de quibus conqueritur postea: *Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aque et cetera.*²⁴ Cum autem aque intrant in uani exit uentus, sic cum amor mundi in corde exit uentus spiritus sancti. De hac attraccione in Canticis, id est dicit fidelis anima: *Trahe me post te currimus et odore unguentorum tuorum adoloscetule tue dilexerunt te nimis.*²⁵

¹⁷ Cf. Eze 22:18

¹⁸ Ier 6:30

¹⁹ Cf. Eccli 24:40-41

²⁰ Ps 18:6

²¹ Cf. Ioh 14:6

²² Ioh 12:32

²³ Ex 15:10

²⁴ Ps 68:2

²⁵ Cf. Cant 1:2-3

[10] Trahit aliquando Dominus per beneficia ut alliciat per reclamatorium carnis sue set diuites quasi ancipitres carnibus huius mundi saturati non attendunt. Attrahit autem Dominus per sanguinem suum quia sanguinem suum fudit in terra ut quasi canes edocti sequeremur eum in celum set modo diabolus ungit nares iustorum delectacionibus carnalibus deliciis ne odorem uestigii Christi sencient, uacantes deliciis eciam coquinis. // fol. 113vb // De quibus dicit propheta in Osee ix: *Egiptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos.*²⁶ Meophis interpretatur os,²⁷ et significat gulam in qua multi sepeliuntur.

[11] Item multi ad tempus currunt set cum uenerunt ad albam spinam, statim resiliunt. Tales sunt scolares in scolis, bene uiuentes, nudi nudum Christum sequentes ad albam spinam, id est ad honorem mundi, conuersi sunt. De quibus dicit propheta: *Filii Effrem intendentes et mittentes arcum suum conuersi sunt in die belli.*²⁸ Et conuersa sunt contra arcum prauum quia cum sagittare deberent Christum et proximum sagitta amoris, sagittant se ipsos sagitta doloris. Vnde dicebat quidam: *Ve mihi quia deficio, quia condam et cetera.*²⁹

[12] Item trahit Dominus per exemplum, unde dicit Paulus Petro: *Tu cum Iudeus sis gentiliter uiuis et non iudaice quomodo cogis gentes iudaizare* (ad Galatas ii in finem).³⁰ Ecce quomodo uita prelati coactio est subditi quia fere omnes laici sunt modo lunatici. Item dicit apostolus ii ad Corinthios vii: *Capite nos neminem lesimus.*³¹ De talibus dicit Machabeus in primo Machabeorum v: *Abiit Symon in Galileam et comisit prelia multa cum gentibus, id est peccatoribus, et contrice sunt gentes a facie*

²⁶ Cf. Os 9:6

²⁷ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 121)

²⁸ Ps 77:9

²⁹ Cf. Ier 4:31

³⁰ Cf. Gal 2:14

³¹ II Cor 7:2

*eius et persecutus est eos usque ad portam Tholomaidis.*³² Symon Machabeus, quilibet prelatus scilicet per obedienciam uel audiens merorem, scilicet pauperem, debet ire in Galileam, id est in mundum uel in parochiam, ad infirmos uisitandos et committere prelia multa cum gentibus, id est peccatoribus, quia ubi non delinquimus pares sumus. Et bene sequitur, ‘contrice sunt gentes a facie eius’, quia per conuersacionem et uitam prelati, subiecti sepe possunt contrici. Vnde in Iob xxix: *Videbant me iuuenes et abscondebantur et senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui et digitum supponebant ori suo.*³³ Set heu modo potest dici illud in Threnis iiii: *Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt,*³⁴ *sicut populus sic sacerdos,* in Osee iiii.³⁵

[13] Ideo dicit Dominus per Ieremiam in I: *Grex perditus fit et populus meus pastores eorum seduxerunt eos feceruntque eos uagari in montibus.*³⁶ Bene dixerunt ‘seduxerunt’, id est seorsum a uia ueritatis duxerunt et ita a ueritate traxerunt. De talibus attrachis dicitur in Prouerbiis vii: *Veni inebriemur uberibus et fruimur cupitis amplexibus donec illucescat dies et cetera.*³⁷ Post pauca: *Irretiuit eum multis sermonibus et blandiciis labiorum protraxit illum et cetera.*³⁸ Tales citius uolunt trahi a diabolo quam a Christo et mirus est quia sequamur diabolum et non Christum cum ipse uenit ad hoc in mundum ut connitus diligeretur et ut connitum sequeretur. Set modo uidetur quam pauci sequuntur eum set tamen pauperes sequuntur Christum sencientes odorem Christi sicut odorinsicus. Vnde dicitur de Christo quod dicitur de

³² Cf. I Mach 5:21-22

³³ Iob 29:8-9

³⁴ Thren 4:16

³⁵ Os 4:9

³⁶ Ier 50:6

³⁷ Prou 7:18

³⁸ Prou 7:21

Dauid (i Regum xxii): *Conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti et compressi ere alieno et amare animo et factus est eorum princeps.*³⁹

[14] Item in Regum ii xv: *Ascendit Dauid cliuum Oliuarum nudis pedibus scandens et flens et omnis populus sequebatur eum.*⁴⁰ Quid est quod Dauid ascendit cliuum Oliuarum ubi quod Christus ascendit montem misericordie quando pro nobis ascendit montem Caluarie et ibi uoluit mori et crucifigi? Que est maior misericordia quam dominum pro seruo, iustum pro iniusto mori? Et nota quod dicit ‘nudis pedibus’; in hoc dat formam penitencie. Item dicitur ‘omnis populus sequebatur eum’; populus est collectio pauperum. Ipsi sequuntur Christum regem nudis pedibus et sunt quasi milites que secuntur regem proprii stipendiis in clauis et ferris quia turpe esset seruo equitare Domino nudis pedibus itinerante et ideo *pellem pro pelle dabit homo pro anima sua* in Iob ii.⁴¹ Et nota quod dicit ‘omnis populus secutus est Dauid’, id est omnes pauperes. Modo non omnes pauperes secuntur Dominum, id est Christum, quia Dominus quosdam trahit usque ad rupturam pannorum nec uenire uolunt. Quibusdam enim pannos novos ut melius trahantur et sequantur Christum. Quosdam enim trahit per capillos et uerberat nec uenire uolunt. Qui cum redibat de agro famelicus et lassus, inuenit familiam clamantem et pueros panem petentes nec fuit qui frangeret eis. Mulier uero ad tabernam cepit inebriari cum consoribus et obliuioni tradidit dominum suum et familiam. Que per multos nuncios citata distulit uenire; tandem Dominus eius per capillos traxit eam ad domum. Mulier ista prelatu est propter fecunditatem proli qui uadit ad scholas et ibi letatur cum sociis et inebriatur.

[15] Colonus est Christus qui stat ad hostium // fol. 114ra // et si quis aperuerit, intrat et in membris suis esurit et sitit; set ubi non est, mulier ingemiscit eger. Nec est

³⁹ I Reg 22:2

⁴⁰ Cf. II Reg 15:30

⁴¹ Iob 2:4

qui aperiat; ideo oportet Christum capere clauem regis. Clavis regis est infirmitas quia in sanitate maius nolunt, in infirmitate autem omnia parata sunt facere. Quod Christus sit colonus habetur in Ieremia xiiii: *Quare sicut colonus futurus es in terra et quasi uiator declinans ad manendum.*⁴² Ecce quod Christus erat colonus quasi uiator, scilicet non habens propriam mansionem. Bene dicit 'declinans' quasi mulier ollam ad aquam hauriendam que scilicet due facit; inclinando ollam licorem infundit ab olla. Si est et aqua haurit a fonte sit filius Dei se Marie infundendo ei gratiam, unde 'Aue gracia plena'.⁴³ Ecce quis licor erat in olla hauriebat autem aqua humanitatis nostre in uirgine. Hoc est quod petit propheta: *Domine inclina celos tibi et descende.*⁴⁴

[16] Item nota quod Dominus dicit: *Cum exaltatus fuero omnia traham ad me.*⁴⁵ Qui uero non trahuntur, nichil sunt. Item celum trahit post se omnes motus inferiores set terram non trahit. Quid per terram nisi cupidi et auari qui uix ad Dominum conuertuntur, unde Ecclesiastes i: *Generatio aduenit, generatio preterit terra autem in eternum stat.*⁴⁶ Hoc est luxuriosi, gulosi et huiusmodi aliquando conuertuntur ad Dominum; cupidi autem et auari raro uel nunquam. Cum Dominus dicat in Ieremia xxxi: *In caritate perpetua dilexi te. Ideo attraxi te miserans.*⁴⁷ Et non attendunt miseri auari quod dicit Dominus in Ecclesiastico: *Magna est gloria sequi Dominum longitudo dierum.*⁴⁸ Inuenietur ab ipso econtrario magna erit confusio sequi diabolum cupiditatem, auariciam et huiusmodi quia dicitur in catholica Iude ii: *Ve eis qui in uia Cay abierunt et mercede Balam effusi sunt.*⁴⁹ Cicius enim sequuntur diabolum et

⁴² Ier 14:8

⁴³ Cf. Luc 1:28

⁴⁴ Ps 143:5

⁴⁵ Ioh 12:32

⁴⁶ Cf. Eccl 1:4

⁴⁷ Ier 31:3

⁴⁸ Eccli 23:38

⁴⁹ recte Iude 1:11

mundum quam Christum, unde in Iob xxi: *Dulcis fuit glariis^c Cothiti et post se omnem hominem trahit.*⁵⁰

[17] Item in Apocalypsi xii: *Draco trahit post se terciam partem stellarum;*⁵¹ sequitur *quasi fluuius Dorix.*⁵² Fluuius dicitur a fluo, fluis, quia apud patrem erat fons uite, id est filius ab eterno qui interpretatur incipiebat ad nos fluere quando carnem assumpsit. In fluuio isto omnis alie aque que currunt nomen amittunt. In Apocalypsi ultima: *Aque multe, populi multi,* uomentes ad fluuium,⁵³ id est ad Christum; Gentiles et Iudei nomen amittunt quia a Christo dicuntur Christiani. Item aque tribulacionum transeuntes ad Christum nomen amittunt quia aduersitates uocant sancti delicias, unde in Deuteronomii penultima: *Inundaciones maris quasi lac suggest.*⁵⁴

[18] Item paupertatem in diuicias mutat, unde Matheus v: *Beati pauperes spiritu et cetera.*⁵⁵ Dorix interpretatur medicamentum generacionis et est generacio triplex: superbie, inuidie et utriusque medicine. In celesti paradiso nata fuit superbia, terrestri paradiso nata fuit inuidia, in uirgine Maria utriusque medicina. Vnde in Ecclesiastico xxxviii: *Altissimus de terra creauit medicinam et uir sapiens non abhorebit illam.*⁵⁶ De qua terra in psalmo: *Terra nostra^f dabit^g fructum suum.*⁵⁷ Item in Ecclesiastico xliii: *Medicina omnium in festinacione nebule.*⁵⁸ De qua nebula in iii Regum xviii: *Nubecula parua ascendebat de mari, quasi uestigium hominis de mari,* id est Maria.⁵⁹ Vnde in psalmo: *In mari habundabit cogitacio tua,*⁶⁰ scilicet de redemptione generis

⁵⁰ Cf. Iob 21:33

⁵¹ Cf. Apoc 12:4

⁵² Cf. Apoc 12:15

⁵³ Cf. Apoc 17:15

⁵⁴ Deut 33:19

⁵⁵ Matt 5:3

⁵⁶ Cf. Eccli 38:4

⁵⁷ Ps 84:13

⁵⁸ Eccli 43:24

⁵⁹ Cf. III Reg 18:44

⁶⁰ recte cf. Eccli 24:39

humani quia pro alia non fuit uerum quod dixit Dominus, *Faciamus homini^h adiutorium simile sibi,⁶¹ quia Eua non fuit [quia Eua non fuit] ad adiutorium hominis set ad casum. Et nota quod dicit ‘in mari’ non ‘in Maria’, quia si apponeretur autem iam cognita esset diabolo Christi incarnacio et ideo substituit.*

[19] Item nebula abscondit et tegit inmundicias terre ab aspectu solis et Christus tegit peccata hominis ne pater uideat ad puniendum, unde *Beati quorum remisse sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.*⁶² Dominus tegit omnia peccata que tecta sunt per confusionem. Vnde in Trenis iiii: *Spiritus oris nostri christus dominus captus est in peccatis nostris, in umbra eius uiuemus in gentibus.*⁶³ Spiritus noster dicitur ‘christus’ quia sicut homo exterior sine spiritu non uiuit, nec homo interior, id est anima, sine Christo. Spiritus inuisibiliter attrahitur set uisibiliter expiratur, unde Iob: *Si uenerit ad me non uidebo et cetera.*⁶⁴ Inspiratur per graciam quando homo concipit aliquod bonum propositum ad salutem. Exspiratur // fol. 114rb // uisibiliter quando conceptum mentis in opus bonum procedit in lucem. Sub uerba eius uiuemus quasi pullus sub alis maternis ne miluus capiat, id est diabolus.

[20] Et nota quod una sola estⁱ gallina in ecclesia, multi autem milui. Vnde Ysayas xxxiiii: *Clamabit miluus alter ad alterum* sub ista protectione.⁶⁵ Et umbra fuit^j latro dexter in cruce Christi et ideo saluatus; sinister uero soli expositus erat, id est pene eterne. De ista nebula dicit ecclesia aspiciens a longe et uidi nebulam totam terram tegentem et loquitur ad modum speculatoris qui de longe uidet salutem nostram. Ideo dicit Ysaia lix: *Indutus est pallio zeli,*⁶⁶ id est amoribus quo ipse tegit peccata sponse, id est anime peccatricis. Item Ysaia xvi: *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie*

⁶¹ Cf. Gen 2:18

⁶² Ps 31:1; Rom 4:7

⁶³ Thren 4:20

⁶⁴ Iob 9:11

⁶⁵ Cf. Isa 34:14

⁶⁶ Cf. Isa 59:17

*absconde fugientes, ad te quasi mater filium uiso aliquo terribili et sequitur: uagos ne perdes. Esto latibulum eorum a facie uastatoris,*⁶⁷ id est diaboli, unde psalmista: *Filii hominum et cetera.*⁶⁸

[21] Item *scapulis suis obumbrabit et cetera.*⁶⁹ Vnde Ysaias: *Creabit Dominus super omnem locum montis Syon nubem per diem et fumum et super omnem gloriam protectio tabernaculum et umbraculum diei ab estu et in securitate et in absconsione a turbine et a pluuiis.*⁷⁰ Item Christus est columpna ignis et nubis de qua in Exodo xiiii.⁷¹ Item Christus est latus decoctus in fornace passionis qui tegit domus nostras, id est concientias nostras, a pluuiis; de qua in psalmo: *Plues super eos et cetera.*⁷² Item protectio est mala qua malus malum protegit et defendit talis; portat scuta diaboli quasi armiger eius, unde Iob xl: *Vmbre protegunt umbram,*⁷³ id est malus sacerdos alium quia alter in alterius fauet concubinam. De quibus dicitur Iob ii: *Nerui testicularum leniatam perplexi sunt.*⁷⁴ Item dicit Iob de talibus, quod Nemoth, id est diabolus, *dormit sub umbra,* id est in talibus.⁷⁵ De tali scuto dicitur in psalmo: *Scuta comburet igni*⁷⁶ et licet modo abscondant idolum Labantum Rachele,⁷⁷ et uitulum conflatilem adorauerint,⁷⁸ in futuro apparebit in barbibus eorum coram omnibus. Que extra nebulam clara et pulcra sunt in nebula offuscantur, sic passio Christi omnes tribulationes offuscat quia nichil patimur respectiue in cuius signum erant tenebre et passione quod in tenebris est ut uidetur. Sic omnis pena presens habito respectu penas

⁶⁷ Isa 16:3-4

⁶⁸ Ps 4:3

⁶⁹ Ps 90:4

⁷⁰ Cf. Isa 4:5-6

⁷¹ Cf. Exod 14:24

⁷² Ps 77:27

⁷³ Iob 40:17

⁷⁴ Cf. Iob 40:12

⁷⁵ Iob 40:16

⁷⁶ Ps 45:10

⁷⁷ Cf. Gen 31

⁷⁸ Cf. Ex 32:8

Christi ut apparet, unde Iob iiii: *Numquid potest homo comparari factori suo.*⁷⁹ Ysaïas
 Ixiiii: *Omnes iusticie quasi pannus menstruate.*⁸⁰ Iob iiii: *In angelis reperit
 prauitatem.*⁸¹

[22] Item in nebula aues non cantant, sic uiri spirituales in ualle lacrimarum letari
 non desiderant audita passione Christi. Vnde Ezechiel i: *Cum fieret uox in firmamento
 animalia mittebant alas, id est humiliabant uirtutes.*⁸² Item nebula facit solem
 inuisibilem, sic caro Christi quasi dictum uisibilem, unde Iob ultimo: *Oculus meus
 uidet te.*⁸³ Item in nebuloso temporaliter, scilicet in natali, purgant latrones quia tunc
 tempus est eorum, id est demonum quia tunc regnat gula luxuria et alia huiusmodi
 uicia. Iob xix: *Venerunt latrones simul et uiam fecerunt per me.*⁸⁴ Et bene dicit ‘simul’
 quia uix uenit gula sine luxuria; bene dicit ‘per me’, id est per consensum meum quia,
 nisi consentirem, nunquam uenirent super me; unde Ysaïas vi: *Incuruare ut
 transseamus.*⁸⁵

[23] Ecce quod nichil possunt sine licencia, ubi ueniunt, uiam faciunt, unde
 meretrix siue *mulier fornicatoria conculcabitur quasi stercus in uia* (Ieremias ix).⁸⁶
 Stercus recens plus fetes et conculcatum; sit meretrix iuuenis et pulcra et effectata, qui
 uero diligit meretricem stercus est. Nam dicit apostolus: *Qui adheret meretrici unum
 corpus efficitur.*⁸⁷ Osee ix: sic sunt, *sicut ea que dilexerunt,*⁸⁸ set dilexerunt stercora,
 id est meretrices que stercora sunt; ergo sunt ei similes.

⁷⁹ Cf. Iob 4:17

⁸⁰ Cf. Isa 64:6

⁸¹ Iob 4:18

⁸² Cf. Eze 1:25

⁸³ Iob 42:5

⁸⁴ Cf. Iob 19:12

⁸⁵ Isa 51:23

⁸⁶ Cf. Eccli 9:10

⁸⁷ I Cor 6:16

⁸⁸ Os 9:10

[24] Item nebula notet illis qui species non masticant, species non crescunt in terra ista, set in terra sancta, sic uerba sacre scripture a Deo. Et^k Iudei illas species non rumant, ideo infirmi sunt et qui mortui quia sacram scripturam non intelligunt. Ideo in Deuteronomio xiiii: Animal quod non rumat, inmundum est in lege.⁸⁹ Ad Corinthios ii secundo: *Aliis sumus odor uite in uitam, aliis odor mortis in mortem.*⁹⁰ Item decensus nebule signum est pulcri temporis, id est temporis gracie; ascensus uero nebule, id est Christi, in celum signum est pluuię et tempestatis, scilicet malis in iudicio, unde in psalmo: *Pluet super peccatores et cetera.*⁹¹ Medicina istius nebule // fol. 114va // pauci curantur quia fere omnes faciunt, sicut diues quidam infirmus ungens aures suas quodam precioso unguento et non potuit curari set dedit illud cuidam pauperi laboranti eadem infirmitate qui senciens flagranciam unguenti comedit et sanatus est in simplicitate sua. Sic simplices et rustici incorporant sibi uerbum Domini et ponunt in operibus, set scolares delicati in sermonibus et ornatu uerborum cupientes quod scalpantur aures et ungentur ornatis uerbis et autoritatibus sero sanantur. Vnde in Prouerbiis: *Iustus comedit et replet animam suam, uenter autem in piorum esuriet.*⁹² Et in Prouerbiis tercio: *Abominabilis est omnis illusor Deo et cum simplicibus est sermocinacio eius.*⁹³ Item in Ecclesiastico xxxviii: *Vnguentanus fecit pigmenta sanitatis.*⁹⁴

[25] Item Ysaías xxxiiii: Dominus rex noster, id est de uniuerso nostro, id est Emanuel nobiscum Deus, legifer noster ipse ueniet et saluabit nos,⁹⁵ ipse scilicet et non alius angelus, scilicet uel homo. Ideo dicit in parabolis Ione: ‘Mitte me in mari,

⁸⁹ Cf. Deut 14

⁹⁰ Cf. II Cor 2:16

⁹¹ Ps 10:7

⁹² Prou 13:25

⁹³ Cf. Prou 3:32

⁹⁴ Cf. Eccli 38:7

⁹⁵ Cf. Isa 33:22

propter me orta est tempestas',⁹⁶ scilicet in celo occasionaliter. Et est simile si seruiens alicuius regis uellet filiam suam corripere et hoc intelligens dominus seruum a familia expelleret et suspenderet, dicere posset filie sue, 'Propter te amisi seruum meum' et cum illa non consensit, unde illud propter non notat causam set occasionem. Bene dicit 'legifer noster'; uideant modo arciste si ueniat legifer^l eorum in iudicio et saluet eos, Aristoles et Plato et huiusmodi et alii qui nudi cum discipulis suis adherunt. Videant modo legiste si Vulpinianus legifer eorum ueniat et liberet eos in iudicio. Non, quia non est legifer set tenebrifer, unde in Regum xiii viii dicit Helias ad cultores Baal, id est idolorum: *Clamate uoce maiori deus enim uester est, et forsitan loquitur aut in diuersorio est aut in itinere aut certe dormit ut excitetur, et loquitur irronice.*⁹⁷

[26] Sequitur 'ipse ueniet et saluabit nos'. Hoc est quod dicitur supra in primo auctoritate, *Ego sapientia exui*, quasi ductus aque,⁹⁸ scilicet filius Dei, exiui de sinu patris et factus sum homo. Et sunt quatuor rationes qualiter oporteret redemptorem esse hominem. Prima est ut pronotaretur diabolus ad bellum et ad temptationem et ut interpretacione deficeret et nihil indeficiendo uinceretur^m et sic de eo triumpharetur et sic conueniens fuit quod qui hominem uicit ab homine uinceretur. Secunda fuit ratio ut qui fuit creator esset recreator. Tercia ut nos aliceret ad amorem quod in Ecclesiastico xiii, *similis similem diligit.*⁹⁹ Quarta ratio ut esset sufficiens hostia ad Hebreos, unde talis dicebat ut esset pontifex; ad Hebreos v: *Omnis enim pontifex et cetera.*¹⁰⁰

⁹⁶ Cf. Ion 1:12

⁹⁷ *recte* III Reg 18:27

⁹⁸ Cf. Eccli 24:40

⁹⁹ Cf. Eccli 13:19

¹⁰⁰ Heb 5:1

[27] Item quare potius incarnatus est filius quam pater uel spiritus sanctus?

Respondeo ut qui esset filius in diuina natura, esset filius in humana natura et qui habuit patrem in celis, haberet matrem in terris. Vel aliter, quia patri attribuitur potencia, filio sapientia et uas futile fuit Adam et genus humanum, scilicet ad quod reparandum necessaria fuit summa sapientia, uel alia ratione quia uoluitⁿ quod sibi crederetur quia sapientibus citius credimus. Set dicit Ysaias liii: *Domine, quis credidit auditui nostro et brachium Deum cui reuelatum est?*¹⁰¹

[28] Cotidie Dominus reuelat brachium minutum nobis in cruce quasi diceret, ‘Ecce quid feci pro te, quid facies pro me?’ ‘Seie man seie me so go^o rede þe. Vat vit þu gife me so go rede þe I hawen gife me þe’. Ysaias lxxv: *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum.*¹⁰² Et nota quod minutum^p brachium rupto uulnere non ostendit nisi amicis, id est Christianis et amicis. Set ipsi addunt uulnus super uulnus, unde in psalmo: *Super dolorem uulnerum meorum addiderunt,*¹⁰³ et in Threnis i: *Votam amicos meos et ipsi deceperunt me; sacerdotes mei et senes in urbe consumpti sunt.*¹⁰⁴

[29] Et nota quod qui uenit pro salute aliorum et uita propriam salutem et uitam amisit per parce, unde bene significatur per Ioseph cui dixit pater eius Iacob in Genesi xxxvii: *‘Fratres tui pascunt oues in Sithimis; ueni, et mittam te ad eos et uide si cuncta prospere agatur circa // fol. 114vb // oues et peccora’.*¹⁰⁵ Et ipsi acceperunt eum et uendiderunt. Iacob est Deus pater qui fecit filio suo tunicam pollimitam et talarem in ebreo quod interpretatur coniugium, id est in Maria que coniugata fuit et uirgo significatur per ebreo. Ipsa hanc tunicam filio suo texuit pollimitam, id est

¹⁰¹ Isa 53:1

¹⁰² Isa 65:2

¹⁰³ Ps 68:27

¹⁰⁴ Thren 1:19

¹⁰⁵ Cf. Gen 37:13-14

pluribus miseriis et penis fame et siti, frigore, nuditate, flagellis et opprobriis et huiusmodi, quasi iustis filis contexta fuit hec tunica, id est humanitas Christi.

[30] Hec uestis fuit talaris quia a principio uite usque ad mortem miseria et pena creuit super eum. Et nota quod melius dicitur tunica quam capa quia tunica capud non protegit nec miseria Domini qui est capud tetigit set tota miseria super corpus Christi diuinatur, in hoc dans nobis exemplum ipsa sapiencia quod si carnem sanctam et immaculatam uoluit matre sine tanta et morte turpissima, quid faciemus de carne nostra corrupta peccatis? Dominus plantauit hominem post peccatum in ualle lacrimarum et ipse transplantat se in ualle deliciarum. Matheus xv: *Omnis enim planta quam non plantauerit pater meus celestis eradicabitur*¹⁰⁶ et in psalmo: *Euellet te et emigrabit et cetera.*¹⁰⁷ Et Bernardus ait, Si summa sapiencia elegit paupertatem et miseriam, ergo eligenda est quod que dixerit sit tibi quasi ethnicus et puplicanus.¹⁰⁸ Et nota quod fratres Ioseph optulerunt patri tunicam Ioseph dicentes, *uide si tunica filii sit an non.*¹⁰⁹ Et sic faciunt cotidie sacerdotes fratres Christi set proditores peiores

Iuda quia cotidie uendunt Christum.

^a me] *corr. ex meus*

^b est] *corr. ex et*

^c rogemus] *rogamus ms*

^d theologi] *thologi ms*

^e glariis] *glarius ms*

^f de eadem *expung. in ms*

^g dabit] *dubit ms*

^h homini] *hominem ms*

ⁱ est *expung. in ms*

^j umbra *expung. in ms*

^k et] *sunt ms*

^l noster *expung. in ms*

^m uinceretur] *uimceretur ms*

ⁿ uoluit] *uolut ms*

^o go] *god ms*

^p minutum] *minutus ms*

¹⁰⁶ Matt 15:13

¹⁰⁷ Ps 51:7

¹⁰⁸ Cf. Matt. 18:17

¹⁰⁹ Gen 37:32

T55 Diligam te Domine, uirtus mea

fol. 116rb-vb

[1] *Diligam te Domine, uirtus mea.*¹ Diligendus est Dominus ab omnibus si enim amor noster uenalis est, debemus eum diligere. Dicit enim Hugo de Sancto Victore in libro de arra anime: 'Dedit Dominus nobis esse, dedit et pulcrum esse, dedit et uiuere'.² Corpus cum sensibus, animam cum uiribus, dona spiritus sancti cum sacramentis, uirtutes cum incrementis, mundum cum contentis, filium cum tormentis. Concludit ex hiis donis anime sue ut Dominus diligat, dicens aut dona Dei si potes respue, aut si non potes, uicissitudinem dileccionis inpende. Si amor noster uenalis est, diligendus est etsi seruilis diligendus est. Amatur enim Dominus a diligentibus se in tenebras proicere exteriores, ubi erit fletus et stridor dencium. Dicit enim Bernardus: Quod fuimus ab igne ueniens oculos in fletu prouocat^a frigus // fol. 116va // uiuum dentes in stridorem coartat.³

[2] Item si uolumus diligere causa uite rependentis diligendus et Dominus qui *dicit Ego Deus zelotes.*⁴ Sicut enim zelotes habitum transformat, ita Dominus transformauit habitum incarnatione, unde Ysaias: *Opertus est quasi pallio zeli.*⁵ Item latenter ascultat zelotes, ita Dominus, unde in Sapiencia: *auris zeli, id est Dei zelantis, omnia audit.*⁶ Item nutus et tactus considerat ita Dominus, unde in Canticis: *En dilectus meus stat post parietem, prospiciens per fenestras, aspiciens per cancellos.*⁷ Vox est ecclesie et in Parabolis: *Omnis uie hominis patent oculis eius, scilicet Dei.*⁸

¹ Ps 17:2

² Hugo de Sancto Victore, *Soliloquium de arra animae* (PL 176 , 961)

³ *non inu*

⁴ Cf. Ex 20:5

⁵ Isa 59:17

⁶ Sap 1:10

⁷ Cant 2:9

⁸ Prou 16:2

[3] Item colloquia extranea et si qua alia sunt delicta amice impropert, unde in euuangelio: De omni uerbo ocioso^b reddit sibi racionem et cetera.⁹ Et Isaias: *Iuxta me discooperuisti te et suscepisti adulterum*^c.¹⁰ Item amicam custodie deputat prelatis et angelis, unde in psalmo: *Angelis suis*^d *mandauit de te*.¹¹ Et beatus Ieronimus: 'Magna dignitas animarum ut unaqueque habeat angelum^e ad sui custodiam deputatum'.¹² Set nota quod hec amica custoditur a prelatis in pomorum^f similitudinem, unde in psalmo: *Posuerit Ierusalem in pomorum custodiam*.¹³ Item suspecta dona et non ab eo data ab amica sua elongat et hoc suple quociens clerico prebendam male adquisitam resignandi inspirat.

[4] Diligendus est igitur Deus hiis tribus racionibus uisis de causis dileccionis, uidendum est de effectu et nota quod anima per dileccionem assimilatur rei dilecte. Vnde si quis diligit Deum, Dominus similis est, unde Hugo de Sancto Vitore in libro de arrha anime: 'ea uis amoris est, ut te talem neccesse est esse, quale est id quod diligis et cui per affectum coniungeris in eius similitudinem transformeris'.¹⁴ Et nota quod ita est quod si turpia diligit anima turpis est, unde Ose de illicitate amantibus dicit: *Facti sunt abominabiles sicut ea que dilexerunt*.¹⁵ Vnde sicut miserum esset si homo in similitudinem bruti animalis, mutaretur sic quando turpi affectione afficitur anima. Quando enim hac de causa audit homo leges ut dolositatem sciat et ea utatur quasi uulpes est, unde Herodes uocabatur uulpes: *ite dicite uulpi illi*, unde in euuangelio.¹⁶

⁹ Cf. Matt 12:36

¹⁰ Isa 57:8

¹¹ Ps 90:11

¹² Cf. Hieronymus, *Commentarius in euangelium Matthaei*, 3 (CCSL 77, l. 570)

¹³ Ps 78:1

¹⁴ Hugo de Sancto Victore, *Soliloquium de arrha anime* (PL 176, 954)

¹⁵ Os 9:10

¹⁶ Luc 13:32

Herodes interpretatur pellibus glorians¹⁷ et signat bene legistas qui in pellibus murium et stercorebus uermium gloriantur.

[5] Item dileccio Dei amare facit animam, unde ipse in Parabolis: *Ego diligentes me diligo.*¹⁸ Et Seneca: 'Docebo te amatorium sine ueneficio et sine carmine. Si uis amari ama'.¹⁹ Et beatus Augustinus: 'Da mihi te, Deus meus, reddite te mihi, en amo. Si hoc parum est, amem ualidius'.²⁰ Item amor dura emollit ut pene acerbitatem. Dicit enim Ambrosius quod, 'Omnia dura et inmania facilia et prope nulla facit amor';²¹ et idem: Dulcis est amor pro quo tam dulce sunt iniurie eciam ipsa mortem dulcem facit temporis diuturnitatem emollit.^{22g} Vnde beatus Bernardus: 'Omnis labor meus uix unius hore est et si plus pre amore non sencio'.²³ Rerum sumptuositatem emollit et in Canticis: *Si dederit homo omnem substanciam domus sue pro dileccione quasi nichil despiciet.*²⁴

[6] Item dileccio deperdita restaurat; dicit enim Augustinus quod non diuturnitas nec numerositas auget meritum set maior caritas meliorque uoluptatis.²⁵ Item in eternum durat, unde beatus Augustinus de dileccione: 'Discamus in terris quid facturi sumus in celis'.²⁶ Dicto igitur de effectu dileccionis, quomodo animam rei dilecte assimilat, quomodo Deum eam amare facit, quomodo dura emollit, quomodo deperdita restaurat et in eternum durat, restat uidere qualiter eum quidam diligunt ut qui eum uenalem habent faciunt luxuriam et Deum amittunt set non est precium in commutationibus eorum.

[7] Quidam care ut boni sedares in seculo stantes, quidam languenter ut in Canticis: *Adiuero uos filie Ierusalem ut si inueneritis dilectum meum, nunciate ei quia amore*

¹⁷ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 146)

¹⁸ Prou 8:17

¹⁹ non inu

²⁰ Cf. Augustinus, *Confessiones*, 13.8 (CCSL 27)

²¹ Cf. Augustinus, *Sermones*, 70.3 (PL 38, 444)

²² non inu

²³ Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 14.4 (*Opera*, I, 78)

²⁴ Cant 8:7

²⁵ non inu

²⁶ recte cf. Hieronymus, *Epistolae*, 53.10 (CSEL 54, 464)

languet.²⁷ Amore languent qui religionem intrare proponunt set a propositione desistunt. Multi diuersis modis // fol. 116vb // quidam ex chimera; chimera nihil est nisi in opinione. Similiter cogitacio eorum qui facit eos retroire nihil est nisi in eorum mente, unde euanuerunt tales in cogitaciones suas, id est a bono fine frustrati sunt. Quidam retroeunt ex fluxu sanguinis, id est ex infortunio alterius et incidunt in spasma sicut mulieres solent. Vnde ii libro Regum ii: Multi uidentes Asael mortuum subsistebant in uia.²⁸ Quidam retroeunt ex cordis uagacitate; de talibus dicit Dominus per Ysaïam: *Iam abiit uagus in uia cordis eius. Vias eius uidi et dimisi ea.*²⁹ Talem uagacitatem prohibet Dominus in Ecclesiastico: *Non uentiles te in omnem uentum et non eas in omni uia*³⁰ set, ut dicit in Parabolis, *Diriges semitam pedibus tuis et omnes uie tue stabilientur.*³¹

[8] Tales sunt similes canibus qui ignorauerunt in medio numptiarum constituti ad sonitum cornu quo diuertere uoluerunt. Alios retroire facit speculi mendacitas, id est theologus dicens statum secularis eum consulentis meliorem esse quam sit, unde nichil minatur talibus. Confundentur diuini et cooperient uultus suos omnes quia non est responsum Domini. Suple quod dant alios facit retroire religionis paupertas. Nec considerant quod paupertas est religionis municio, sicut fossa ciuitatis que est defectus terre et nota quod sic capitur religio per inplectionem fosse, id est per suppletionem paupertatis. Abacuc: *Comportabit aggerem et capiet eam.*³² Suple Ierusalem, id est religionem; est enim Christi imitacio religio uel paupertas.

[9] Christus enim in loco Caluarie, id est in loco priuato ab hiis temporalibus est eciam paupertas uerorum amicorum probatio. Et ideo dicit Seneca ob hoc precipue

²⁷ Cant 5:8

²⁸ Cf. II Reg 2:23

²⁹ Cf. Isa 57:17-18

³⁰ Eccli 5:11

³¹ Prou 4:26

³² Hab 1:10

diligenda est paupertas quia scire te facit si quis est qui te uere diligit.³³ Dicit enim beatus Gregorius: 'Cum in prosperitate quis diligit, incertum est utrum prosperitas an persona diligatur'.³⁴ Dicit enim Seneca de magna sequela sequente hominem: Mel musce, cadauera lupi, predam non hominem sequitur turba illa.³⁵ Quidam ex uictus austeritate desistunt, non considerantes quod tenuis dieta est hostis, id est carnis domacio que quidam nec eciam anime dormienti parcat set eam frequenter polluit^h, unde Michea: *Ab ea qui dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.*³⁶

[10] Est eciam uigilie obseruacio, unde beatus Bernardus: 'Non causaberis uigiliam longiorem, si solemnitatem eternitatis bene prospexeris'.³⁷ Non igitur languentem amore detrahiuit chimerosa cogitacio, nec fluxus sanguinis, nec cordis uagacitas, nec speculi mendacitas, nec religionis paupertas, nec uictus austeritas, set intret et in claustro moriatur uel sepeliatur ut possit dileccio in eo fortis esse sicut mors, ut in Canticis: *Fortis ut mors dileccio;*³⁸ ut sicut mors efficit hominem sui inpotentem, ita dileccio efficiat eum per uoluntatis proprie abrenunciacionem et sicut mors priuat colorem, ita dileccio per seruorum desiderium, per iugem afflictionem carnis palleat omnis amans et cetera. Et in Regibus: *Quare attenuaris macie filii regis?*³⁹ Donec igitur Dominus ut sic temporaliter in claustro moriantur, ut eternaliter uiuant qui sic Deum diligant.

^a prouocat] prouecat *ms*

^b ocioso] occiso *ms*

^c adulterum] adulterium *ms*

^d suis] suus *ms*

^e angelum] angelium *ms*

^f pomorum] pomorii *ms*

^g et in Canticis *expung. in ms*

^h polluit] polliuit *ms*

³³ *non inu*

³⁴ Cf. Gregorius, *Moralia in Job*, 7.24 (CCSL 143, 353)

³⁵ *non inu*

³⁶ Mich 7:5

³⁷ Cf. Bernardus, *Sermo in uigilia S. Andreae apostoli*, 2 (*Opera*, V, 424)

³⁸ Cant 8:6

³⁹ II Reg 13:4

T69 Renouamini spiritu mentis uestre

fols 122va-123rb

Renouamini spiritu mentis uestre et induite nouum hominem qui secundum Deum

creatus est in iusticia et sanctitate ueritatis.¹

[1] Virtutem uerbi Dei [Dei] ostendit Ieronymus dicens: ‘Magna uirtus sermonis qui serpentes extrahit de cauernis’.² Talis est sermo Dei quia diabolum serpentem tortuosum et totum eius uenenum extrahit a cordibus peccatorum. Set multi more serpentis aures suas contra predicationem obturant, unam aurem terra et aliam cauda. De quibus in Psalmo: Furor illis, scilicet peccatoribus, secundum similitudinem serpentis et aspidis surde obturantis aures suas que non exaudiet uocem incantantium.³

[2] Aurem terra obturant qui amore terrenorum predicationem Dei uitant. Aurem cauda obturant curiales et luxuriosi; curiales enim propter caudam familie quam ducunt aut quam aliis faciunt Dei uerbis audire renuunt. Contra quos dicit psalmista: Neque ambulauit in magnis.⁴ Vtinam attenderunt isti quod Petrus ad curiam^a ueniens Christum negauit. Magi eciam uenientes ad curiam Herodis stellam perdiderunt. Melius enim esset sequi longum quam curtum. Item aurem cauda obturant luxuriosi quoniam caudam suam sequentes renuunt uerbum Dei. Vere sunt isti miseri quos more proditorum trahit diabolus ad caudam equi sui. O quam uerecundum est totum a parte deuinci et regulam geometricam transcendere que dicit Omne totum est magis sua parte. Erubescat igitur luxuriosus a membro sine ossibus quasi a latrone suspenso multotiens deuictus.

¹ Eph 4:23-24

² Cf. Hieronymus, *Tractatus lix in Psalmos*, 140 (*Opera homiletica*, CCSL 78)

³ Ps 57:5-6

⁴ Ps 130:1

[3] Verbum autem Domini tanquam tiriaca spiritualis uenenum spirituale, id est peccatum, eicit, et maxime ab illis in quibus peccatum est accidentale et non radicatum praua consuetudine. Set cum consuetudo sit altera natura, multi peccant quod prius fuit accidentale, per consuetudinem prauam sibi fecerunt quasi naturale. Quod de facili non expellitur per tiriacam spiritualem, sicut nec uenenum a serpente. Propter hoc in suscitatione Lazari legitur Ihesus se turbasse fleuisse et clamasse ut ostenderet difficultatem resurgandi a praua consuetudine.⁵ Vnde Gregorius: 'Quam difficile resurgit, quem moles prae consuetudinis premit'.⁶ Propter hoc etiam dicit Augustinus: Difficilius est peccatorem conuertere quam celum et terram creare.⁷ Huius duplex est ratio: in creacione celi et terre non inuenit dominus resistens, set in conuersione peccatoris inuenit obstaculum, scilicet peccatum; preterea in creacione celi et terre non exigebat dominus coadiutorem quem tamen exigit cum peccatorem conuertit. Vnde apostolus: *Coadiutores Dei sumus*,⁸ et Augustinus: Deus et si faciat omnia sine nobis, non tamen iustificat nos sine nobis.⁹

[4] Multum ergo timere possunt maxime qui in peccatis inueterati sunt. Tales enim cor suum obdurantes, cor habent adamantium; set natura adamantis est ut attrahat ferrum. Similiter peccatores quantum in se est diuini iudicii attrahunt gladium. De quo in Iob: *Fugite a facie gladii quoniam ultor iniquitatum est*.¹⁰ Gladius consolatur tamen peccatores et induratos quod adamas dissoluitur per uirtutem sanguinis hircini. Similiter duricia peccatoris per uirtutem sanguinis Christi, qui significatur per hircum quoniam more hirci oblatus est in sacrificium. Peccatores igitur, *Hodie si uocem eius audieritis*,

⁵ Cf. Ioh 11

⁶ recte cf. Augustinus, *Tractatus in Iohannis euangelium CXXIV*, 49.24 (CCSL 36)

⁷ non inu

⁸ Cf. I Cor 3:9

⁹ Augustinus, *Sermo* 169.11 (PL 38, 923)

¹⁰ Iob 19:29

*nolite obdurare corda uestra.*¹¹ Set uetustatem deponentes in nouitate uite resurgant, secundum consilium apostoli dicentis in epistola, Renouamini et cetera.

[5] Non dicit renouamini corpore set spiritu. Multiplex est enim uite nouitas siue iuuentus una est nature; de qua in psalmo: *Iunior fui et enim senui,*¹² et alibi: *In quo corriget adolescentior* et cetera.¹³ Alia est iuuentus graciae; de qua in psalmo: *Introibo ad altare Dei ad Deum qui letificat* et cetera.¹⁴ Tercia est iuuentus siue nouitas glorie; de qua in psalmo: Renouabitur uelut aquile iuuentus tua.¹⁵ Prima autem iuuentus que est nature figurat tam secundam quam terciam que sunt graciae et glorie et hoc multiplici racione. Qui enim habet graciae, iuuenis siue nouus homo dicitur multis racionibus. Sicut enim qui iuuenis est natura longe est a morte secundum naturam, similiter qui habet graciae multum distat a morte spirituali. Vnde in psalmo: Quantum distat ortus ab occidente et cetera.¹⁶ Bene dicit sic quoniam qui graciae habent semper sunt in oriente, id est in Christo, cuius nomen oriens secundum prophetam. Peccatores enim semper sunt^b in occidente. Vnde utrumque statum respiciens Salomon dicit: *Oritur sol et occidit et ad locum suum reuertitur.*¹⁷ Sol, id est iustus, oritur per graciae, occidit per culpam et ad locum suum reuertitur per penitenciam. Preterea quod iusti longe sint a morte, Dominus ostendit dicens: *Qui credit in me non morietur in eternum.*¹⁸

[6] Item secunda similitudo est inter iuuentutem nature et iuuentutem graciae. In iuuentute nature bene dispositi sunt sensus, set deficiunt in senectute. Similiter in iuuentute graciae bene dispositi sunt sensus spirituales: uisus scilicet fidei, olfactus spei, auditus obedientie, gustus caritatis et tactus pacientie humilis. Fide enim uidemus

¹¹ Ps 94:8

¹² Ps 36:25

¹³ Ps 118:9

¹⁴ Ps 42:4

¹⁵ Ps 102:5

¹⁶ Ps 102:12

¹⁷ Eccle 1:5

¹⁸ Ioh 11:26

Deum, set tantum sub nube, unde apostolus: *Videmus nunc per speculum inenigmate.*¹⁹

Tamen iste // fol. 122vb // uisus clarus est respectu paganorum qui in fide ceci sunt, set obscurus est respectu illorum qui in ecclesia triumphante Deum uident facie ad faciem.

Patet igitur quod uisus noster spiritualis nunc medio modo se habet sicut dicunt philosophi. Delectantur sensus in medio, corrumpantur autem in excellenti. Quod bene ostendit dominus in monte Tabor [in] transfiguratus est nec poterant discipuli sustinere uisum glorie sue. Vnde in Genesi: *Non uidebit me homo et uiuet.*²⁰ Set cum glorificabitur pupilla, tunc uidere poterit Deum in gloria in quam, sicut dicit Petrus, *desiderant angeli prospicere.*²¹

[7] Olfactus autem spiritualis odorem unguentorum paradisi senciens est spes, unde in Canticis in odorem unguentorum tuorum cucurimus.²² Set attendendum est quod in olfactu canes sunt sagaces. Similiter illi qui se canes reputant et uiles fragranciam paradisi sunt sencientes. Vnde Salomon: *Melior est^c canis uiuus quam leo mortuus;*²³ quasi diceret melior est qui in humilitate uiriliter agit quam qui de probitate superbit. De talibus eciam canibus dicitur in psalmo: *Famem patientur ut canes.*²⁴ Tales sunt prelati et predicatorum linguam habentes medicinalem solliciti ecclesie sancte custodire ciuitatem. Preterea nonne tres magi gentiles, qui reputabantur canes, in olfactum erant sagaces quasi panem nouum in clibatio uirginis decocum sencientes.

[8] Auditus eciam spiritualis est obediencia precepta Dei audire semper prona, unde in psalmo: *In auditu auris obediuit mihi.*²⁵

¹⁹ I Cor 13:12

²⁰ Ex 33:20

²¹ I Pet 1:12

²² Cf. Cant 4:10

²³ Eccle 9:4

²⁴ Ps 58:7; Ps 58:15

²⁵ Ps 17:45

[9] Gustus autem spiritualis est caritas, unde in psalmo: *Gustate et uidete quoniam*.²⁶ Caritas enim semper est in epulis, unde in Canticis: *Commedite amici et inebriamini karissimi*.²⁷ Tale autem comedere non est nisi^d in Deo delectari, unde in psalmo: *Delectare in Domino*.²⁸

[10] Tactus etiam spiritualis paciencia humilis. Sicut enim per tactum ad limam probatur aurum, similiter per tactum in tribulationibus probatur iustus. Vnde Salomon: *Quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio uiro iusto*.²⁹ Vnde Iob humiliter tribulationem paciens dixit, *Manus Domini tetigit me*.³⁰

[11] Sic ergo iuuenes per gratiam sensus spirituales bene dispositos habent, non sic peccatores, nec sic; uisum enim habent obscurum, unde in psalmo: *Obscurentur oculi eorum* et cetera.³¹ Alios enim sensus spirituales amiserunt, unde propheta ad peccatores loquens ait: *Precident tibi aures et nares, scilicet demones*.³² Bene enim in precisione aures et nares coniunguntur quoniam a quibus auris obedientie preciditur frustra de eterna uita speratur.

[12] Tercia similitudo est quod sicut in iuuentute nature est homo fortis naturaliter, ita in iuuentute graciae est homo [est homo] fortis spiritualiter. Est enim in caritate que ualde fortis est, unde in Canticis: *Fortis est ut mors dilectio*.³³ Mors enim animam separat a corpore. Similiter dilectio spiritum separat a sensualitate, ut non uiuat homo secundum carnem quoniam *qui Christi sunt, sicut dicit apostolus, carnem suam crucifixerunt cum uiciis et concupiscenciis*.³⁴ In hoc autem apparet fortitudo caritatis

²⁶ Ps 33:9

²⁷ Cant 5:1

²⁸ Ps 36:4

²⁹ *non inu*

³⁰ Iob 19:21

³¹ Ps 68:24

³² Eze 23:25

³³ Cant 8:6

³⁴ Gal 5:24

quod hominem in amore mundi radicatum et a parentibus detentum, radicitus extrahit, ita quod patrem et matrem et totum mundum relinquere facit more ceruorum qui tempore amoris patriam suam relinquunt.

[13] Item in iuuentute est pulcritudo. Similiter in iuuentute spirituali est pulcritudo spiritus. Vnde in psalmo: *Omnis glorie eius filie regis ab intus*,³⁵ quasi diceret respectu interioris decoris, nullus est decor exterius, unde in Canticis: *Nigra sum set formosa*.³⁶ Econtrario autem peccatores ualde sunt turpes, unde propheta: *Denigrate sunt super carbones facies eorum*.³⁷

[14] Item senes naturaliter amittunt dentes. Similiter peccatores qui spiritualiter sunt senes spirituales amittunt dentes per que intelligitur fortitudo masticandi et conuertendi duros cibos in nutrimentum quod facit paciencia. Ipsa enim tribulationes et obprobria que sunt quasi durus cibus conuertit in nutrimenta cum pacienter sustinet illa. Set talem uirtutem dentium amiserunt peccatores, unde in Genesi: *Qui profecti sunt ab oriente uenerunt in campum in terra Sanaar*.³⁸ Proficiscuntur^f ab oriente peccatores, Christum cuius nomen oriens relinquentes, et ueniunt in campum, id est in latam uiam que ducit ad mortem, in terra Sanaar quod interpretatur excussio dencium.³⁹ Tunc enim diabolus dentes spirituales excutit cum peccatorem dura masticare non permittit. Non sic est de iustis in gracia semper nouis, unde legitur de Moyse quod in morte eius *neque caligauerunt oculi eius neque dentes eius moti sunt*.⁴⁰

[15] Item homo in senectute solet^g incuruari. Similiter senes spirituales, scilicet peccatores, incuruantur quoniam auersi a Deo ad mutabilia inclinantur, unde in psalmo:

³⁵ Ps 44:14

³⁶ Cant 1:4

³⁷ Thren 4:8

³⁸ Gen 11:2

³⁹ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 71)

⁴⁰ Deut 34:7

*Et dorsum eorum semper incurua.*⁴¹ Iusti autem erecti sunt, unde Ieremias: *Leua oculos tuos in directum.*⁴² Et in^h euuangelio // fol. 124ra // legitur quod erexit dominus mulierem incuruatam.⁴³ Omnibus hiis rationibus dicitur habens gratiam homo nouus, peccator autem uetus, unde patet quod gloriosum est reuiuenscere, tediosum autem esset senescere; unde poeta: 'Multa senem circumueniunt incommoda'.⁴⁴ Propter hoc uolens apostolus nos reuiuenscere dicit *Renouamini* et cetera.

[16] Qualiter autem possumus reuiuenscere per ceruum ostenditur. Ceruus enim senescens serpentem deuorat et turbato cerebro et fonte potato, cornua deponit, pilos ueteres amittit et sic reuiuenscit, secundum quod figuratur [quod] homo inueteratus in peccatis. Peccatum decet deuorare eciam propriis dentibus in confessione quasi lacerare. Ethiops enim est albus secundum dentem; similiter peccator fit mundus secundum caninam sui reprehensionemⁱ. Tunc autem petimus fontem tanquam ceruus desiderans ad fontem aquarum quando de foraminibus corporis Christi dulces lacrimas aurimus. Et tunc cornutam superbiam deponentes et ueteres cogitationes, que significantur per pilos amittentes, reuiuenscimus.

[17] Idem docet serpens, unde in euuangelio: *Estote prudentes sicut serpentes.*⁴⁵ Prudencia enim serpentis hec est cum senescat per abstinentiam pellem laxat et postea angustum foramen querens et ibi se collidens ueterem pellem deponit et sic reuiuenscit. Similiter peccator per abstinentiam se decet affugere et angusta foramina immo angustiis plena in corpore Christi querere et ad illa per frequentem meditationem mentem collidere, secundum quod dicit Ysaias: *Ingredere in petram et abscondere in fossa humo.*⁴⁶ De hac fossione dicitur in psalmo: *Foderunt manus meas et cetera.*⁴⁷ Et

⁴¹ Ps 68:24

⁴² Ier 3:2

⁴³ Cf. Luc 13:11-13

⁴⁴ Horatius, *Ars poetica*, 169

⁴⁵ Matt 10:16

⁴⁶ Isa 2:10

sic per fortem meditationem uulnerum Christi potest sanguine Christi se lauare, secundum quod dicitur in Apocalypsi: *Ipse lauit nos in sanguine suo*,⁴⁸ et sic reuiuenscere.

[18] Item exemplum renouationis summere possumus in ancipitro, de quo dicitur in Iob: *Numquid per sapientiam tuam plumescit ancipiter, extendit alas suas ad austrum*.⁴⁹ Per austrum aquiloni contrarium significatur spiritus sanctus, per alas significatur conatus. Alas igitur ad austrum extendere est toto conatu ad spiritum sanctum tendere, cuius est poros prius constrictos dissoluere et sic cadente ueteri, pluma nouam inducere.⁵⁰ Ab animalibus igitur exemplum summentes et consilium apostoli sequentes renouemur.

[19] Set attendendum est quod dicit apostolus: *Renouamini spiritu*. Multi enim renouantur, sed non spiritu, capud lauantes, barbam radentes et nouis uestibus se induentes. Talis autem renouacio corporis est de qua non curat apostolus set de illa que est spiritus. Illa enim nouitas in eternum potest seruari; nouitatem autem corporis est necesse amitti. Mirum est igitur multos circa renouationem corporis esse sollicitos et nouitatis spiritus oblitos. Hoc autem facere est ancillam preciosis uestibus induere et dominam suam sordido habitu uilificare.

[20] Dicit igitur apostolus, *Renouamini spiritu*, set quoniam multi renouantur spiritu renouacionis sue inmemores et gratiam Domino non reddentes, subdit apostolus *mentis uestre*. Mens autem dicitur que meminit, quod patet per expositionem Augustinus: *'Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, scilicet intellectu sine errore, ex tota anima, scilicet uoluntate sine contradiccione, ex tota mente, scilicet memoria sine*

⁴⁷ Ps 21:17

⁴⁸ Apoc 1:5

⁴⁹ Iob 39:26

⁵⁰ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 31.46 (CCSL 143B, 1613-14)

obliuione'.⁵¹ Memoriam autem renouacionis sue ostendit se habere sponsa in^j Canticis dicens: *Expoliaui me tunica mea et quomodo induar illa. Laui pedes meos et quomodo coinquinabo^k illos.*⁵² Habens enim memoriam pulcritudinis sue, de facili non recoinquinet se. Quod autem sanctificationem nostram debeamus memoriter retinere. Patet per hoc quod dixit dominus Moysi: Memento sanctificare sabbatum;⁵³ sabbatum autem sanctificat qui in nouitate uite quietem mentis obseruat.

[21] Bene autem dicit apostolus mentis uestre; memoria enim cum sit preteriti, ad Deum non pertinet proprie quoniam secundum Iacobum: *Apud illum non est transmutatio neque uicissitudinis et cetera.*⁵⁴ Quoniam autem nouum hominem nouum decet indumentum, recte subiungit apostolus dicens Induite nouus homo et cetera. Nouus homo dicitur Christus, uere nouus quoniam nunquam per peccatum inueteratus. De quo Ysaias: *Nouum faciet dominus super terram.*⁵⁵ Dicitur autem Christus indumentum nostrum quoniam nos calefacit et pudibunda nostra tegit. Vere calefacit quoniam spiritum sanctum qui calor dicitur nobis mittit, unde in psalmo: Non est qui se abscondat a calore et cetera.⁵⁶ Vere pudibunda nostra tegit quoniam diabolum uincens opprobrium nostrum deleuit et malediccionem Eue in benediccionem Marie conuertit. Dicitur autem uulgariter quod nouum suspenditur in clauo quod bene conuenit Christo quoniam clauis erat suspensus.

[22] Item uestimentum istud a fullonibus est conculcatum, scilicet a Iudeis qui conculcauerunt ipsum et tandem in tentorio crucis est extensum et distensum sicut faciunt fullones. Racio autem quare Dominus uoluit in cruce distendi est quod a sponsa

⁵¹ recte Alcuin, *Sermo* 108.4 (PL 39, 1960)

⁵² Cf. Cant 5:3

⁵³ Cf. Exod 20:8

⁵⁴ Iac 1:17

⁵⁵ Ier 31:22

⁵⁶ Ps 18:7

sua omnem rugam duplicitatis uoluit deleri, unde apostolus: *Vt mundaret sibi sponsam non habentem maculam // fol. 123rb // neque rugam.*⁵⁷

[23] Item uestimentum istud proprio sanguine Christi tinctum, factum est scarletum. Mirum est ergo quod in tam precioso habitu sponsa sua adhuc despicit eum. Item commutatio armorum uel uestium inter aliquos signum est dilectionis quod fecit nobis Dominus. Ipse enim uestem humanitatis nostre sumpsit, unde Augustinus: ‘Venit ad nos calciata diuinitas’.⁵⁸ Dicit enim apostolus habitu iuuentus ut homo, uestes autem suas nobis commutauit, iusticiam scilicet et sanctitatem. De quibus hic loquitur apostolus dicens, *in sanctitate et iusticia* et cetera. De hac particione uestimentorum dicitur in psalmo: *Conscidisti saccum meum* et cetera.⁵⁹ Bene dicitur saccum hominis conscidisse; saccus enim hominis quasi duas partes habebat, scilicet penalitatem et peccatum. Peccatum enim non assumpsit dominus set penalitatem nostram, unde saccum nostrum conscidit et demum gloria sue immortalitatis nos circumdedit.

[24] Decet autem nouum hominem nouam habere linguam, quoniam *ex habundancia cordis os loquitur*,⁶⁰ unde ex habundancia noui cordis noua loquitur. Vnde de apostolis gracia spiritus sancti innouatis dicitur, ‘Linguis loquuntur nouis’; eiam in cantico aue, uetera non procedant de ore uestro. Nouam autem linguam habent qui libenter de illis loquuntur que non ueterascunt¹, scilicet de eternis. Vnde Gregorius: ‘Sancti grauiter tollerant quicquid non sonat id quod amant’.⁶¹

[25] Patet igitur quod qui libenter de terrenis loquuntur, ueterem linguam habent, unde Ysaias: *Vox phitonis uox tua et de terra musitabit eloquium tuum.*⁶² Bene dicit *musitabit*; musitatores enim multas literas similes querunt iuxta se positas. Similiter

⁵⁷ Cf. Eph 5:27

⁵⁸ recte Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 7.3 (PL 76, 1101)

⁵⁹ Ps 29:12

⁶⁰ Matt 12:34; Luc 6:45

⁶¹ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 7.13 (CCSL 143, 344)

⁶² Isa 29:4

amatores terrenorum multos denarios, multos equos, multos agros querunt. Contra quos loquitur propheta dicens: *Ve uobis qui copulatis agrum agro et domum domui usque ad terminum loci.*⁶³

[26] Item nouitatem uite habentes cantare debemus canticum nouum. In seculo enim uetus cantilena displicet; similiter apud Dominum, unde psalmo: *Cantate Domino canticum nouum.*⁶⁴ Recolet enim Iohannes se uidisse *stantes super mare uitreum tenentes citharas et cantantes canticum Moysi et agni.*⁶⁵ In hiis uerbis figuratur status penitentium^m qui debent stare per perseueranciam non patientes reciduum. Per mare significatur amaritudo; per uitrum, quod nullam turpitudinem celat, significatur confessio, que omnem turpitudinem spiritualem declarat. Per citharam habentem cordas desiccatas ex animali mortuo significatur carnis mortificacio; corda enim nisi sit bene desiccata dulcem sonum non facit; similiter nec caro nostra nisi sit per afflictionem extenuata. Citharus ergo in manibus tenere est cum mortificatione carnis bona opera excercere.

[27] Sequitur *Cantantes canticum Moysi et agni.* Fiebat autem canticum Moysi pro liberacione ab Egypto. Et significat leticiam quam debemus habere proⁿ exitu a peccato. Per agnum significatur innocencia^o. Canticum ergo agni est leticia pro innocencia post penitenciam conseruata. Dupliciter enim debent penitentes letari et domino regraciari: primo pro liberacione a uoragine peccati, secundo pro innocencia conseruata, quod est cantare canticum agni.

[28] Si igitur spiritualiter renouemur et nouis indumentis induamur, nouis linguis loquentes et noua cantica Domino cantantes, dabit in fine Dominus nobis nomen nouum. De quo Apocalypsi: *Qui uicerit dabo illi calculum lucidum et in eo nomen*

⁶³ Isa 5:8

⁶⁴ Ps 97:1; Ps 149:1

⁶⁵ Cf. Apoc 15:2-3

*nouum scriptum quod nemo scit^p nisi qui accipit.*⁶⁶ In hiis uerbis significantur quatuor dotes corporis. Per calculum enim ratione soliditatis significatur impassibilitas; ratione rotunditatis, quoniam quod est rotundum est uolubile, significatur agilitas; per hoc quod dicit lucidum, claritas; per nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit et ita difficile est ad sciendum, significatur subtilitas. Hec autem pertinent ad iuuentutem glorie.

Dominus igitur det nos renouari iuuentute gracie ut tandem renouemus iuuentute glorie quod nobis prestare et cetera.

-
- ^a curiam] *corr. ex curiam*
 - ^b sunt] *corr. ex se*
 - ^c calor *expung. in ms*
 - ^d nisi] *superscript.*
 - ^e Sanaar] *corr. ex Sancier*
 - ^f profiscuntur] *corr. ex profiscuntur*
 - ^g solet] *soleet ms*
 - ^h in] *superscript.*
 - ⁱ reprehension] *reprehensionem ms*
 - ^j pulcritudinis sue *expung. in ms*
 - ^k coinquinabo] *co superscript.*
 - ^l ueterascunt] *ueteraascunt ms*
 - ^m penitentium] *penitetium ms*
 - ⁿ exito *expung. in ms*
 - ^o innocencia] *innocenciam ms*
 - ^p scit] *sit ms*

⁶⁶ Apoc 2:17

T70 Non est nobis colluctacio

fols 123rb-124va

Non^a est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem set aduersus principes et potestates tenebrarum harum contra spiritalia nequitie in celestibus.¹

[1] Apostolus in hodierna epistola ad nos tanquam in bello constitutos loquitur et cum ceteris armis nos assumere gladium hortatur, *gladium scilicet spiritus quod est uerbum Dei.*² Sciendum igitur quod sicut in bello exteriori, sic in bello spirituali, quidam pugnant lanceis, quidam autem gladiis. Lanceis pugnant contemplatiui puri, oracionibus insistentes. Oraciones merito lanceis comparantur quoniam in altum eriguntur et contra hostes diriguntur et cum eis a longe pugnatur; rectitudo eciam in eis attenditur. Lancee autem iste spirituales tunc salubriter confringuntur quando oraciones uocales deuocione data interrumpuntur quod fit in iubilatione. Iubilacio enim est mentis leticia de eternis que nec omnino potest exprimi nec omnino taceri. De qua dicitur in psalmo: *Beatus populus qui scit iubilationem;*³ scit, dico, per experientiam.

[2] Sunt autem alii qui pugnant gladiis, scilicet doctores et predicatorum. // fol. 123va // Gladium spiritus quod est uerbum Dei summentes et de proprie percucientes quoniam non percuciant nisi audientes. Gladius iste uaginam habet, scilicet corticem literalem; tunc autem gladius iste euaginat cum de cortice litere intelligenda spiritalia extrahitur. Propter hoc miseri sunt Iudei et armis spiritualibus uacui, solam uaginam sibi reseruantes.

[3] Attendendum autem quod cum euaginat gladius, uagina ad sinistram relinquitur et gladius extractus in dextra manu tenetur. Similiter est quando gladius iste

¹ Eph 6:12

² Eph 6:17

³ Ps 88:16

spiritualis euaginat⁴ur quoniam secundum apostolum: *Litera occidit spiritus autem uiuificat.*⁴ Littera igitur tanquam aduersatrix quasi a sinistris relinquitur set intelligencia spiritualis ad eternam uitam nos dirigens, tanquam manu dextra tenetur.

[4] Item sicut in uili uagina continetur gladius preciosis, similiter in uili litera continetur gladius aureus. De quo dicitur in libro Machabeorum: *Sume sanctum gladium munus a Deo in quo deicias aduersarios populi mei Isrel.*⁵ Propter hoc dicit apostolus: *Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus,*⁶ quod exponens Origenes dixit: 'Habemus intelligenciam spiritualem in corticibus literalibus'.⁷

[5] Item gladius iste ex utraque parte scindit quoniam uerbo Dei peccata tam audientium quam predicentium dicuntur^b recindi; ideo uersus se uertit gladius. Item gladius iste ferreus est siue durus quantum ad iusticie rigorem, plicabilis tamen est secundum misericordie ostensionem. Item gladius iste rutilat uel splendescit quando menti eleuate per predicacionem, claritas Dei uel splendor sanctorum innotescit. Item gladius iste limatur quando excercicium ocii rubigo deletur. Item gladius iste manu tenetur quando uerbum Dei opere adimpletur. Ioculatores enim sunt qui gladium in lingua ferunt; similiter predicatorum tantum uocales.

[6] Item per pomellum gladii quod sub manu est significatur fides que dicitur fundamentum cui decet manus coniungi, sicut dicitur in psalmo: *Omnia opera eius in fide.*⁸ Propter hoc patet quod heretici fide carentes in gladio suo pomellum non habent. Adhuc autem non habent quod crucem facit super manum. Talis non erat apostolus dicens: *Cum ad uos uenero nichil arbitror me scire nichil solum Christum et hunc crucifixum.*⁹ Item solent in gladiis prauis respicere et per hoc perdita restituere. Similiter

⁴ II Cor 3:6

⁵ II Mach 15:16

⁶ II Cor 4:7

⁷ Cf. Origenes, *In Numeos homiliae sec. transl. Rufini*, 9.7 (Corpus Berolinense, 30, 63)

⁸ Ps 32:4

⁹ Cf. I Cor 2:1-2

in hoc gladio puri et mundi corde inspicientes dampna spiritualia percipiunt et dolum diaboli detegunt.

[7] Item pugnantes gladiis in collo maxime conantur percutere et sic capud a corpore separare; similiter predicatores. Collum enim per quod diabolus corpori suo, scilicet malum, coniungitur est peccatum quod maxime gladio spirituali est percuciendum, secundum quod dicit Ieremias: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.*¹⁰ Quidam tamen aliis adulantes dum peccatis illorum parcunt, ridiculose lato gladii sui percuciunt. Hiis igitur rationibus merito uerbum Dei spiritus sancti gladius dicitur. Sic igitur patet qualiter in ecclesia quidam pugnant lanceis, quidam autem gladiis. Quidam tamen abusores lanceas istas que recte debent esse incuruant et gladios qui exaltari debent manu dextra in terram declinant, orantes scilicet et predicantes pro temporalibus. De quibus dicit Ysaïas: *Conflabunt gladios suos in uomeres et lanceas suas in falces.*¹¹ Bene dicit ‘conflabunt’ quoniam tales oraciones et predicationes inanes et conflatiles sunt.

[8] De predictis lanceis et gladiis dicitur in libro Regum: *Cauebant sibi Philistiim ne Hebrei gladium facerent aut lanceam.*¹² Philistiim interpretantur^d duplex ruina, per quod recte intelliguntur demones qui ruentes in se ruinam nostram non cessant procurare. Isti ergo procurant ne transitores, scilicet Christiani, qui intelliguntur per Hebreos, oracionem aut predicacionem faciant. Set propter hoc non est desistendum immo uiriliter tam lanceis quam gladiis est pugnandum, secundum quod dicitur in psalmo: *Exultationes enim Dei in gutture eorum*, quod pertinet ad dulcedinem oracionum, *et gladii ancipites in manibus eorum*, quod ad predicantes tam uerbo quam

¹⁰ Ier 48:10

¹¹ Isa 2:4

¹² I Reg 13:19

opere est retorquendum.¹³ Qui semen Dei seminantes et uindictam de hereticis summentes disperguntur non in una natione set in multis, unde sequitur, *ad faciendam uindictam in nationibus*, non adulando; unde sequitur, *increpaciones in populis*.¹⁴ Det igitur Dominus nos lanceis et gladiis uiriliter pugnare ut tanquam legitime certantes coronam possimus suscipere.

[9] *Non enim est colluctacio* et cetera. Loquitur hoc apostolus nobis tanquam luctantibus non ludendo set contra nequitiam aduersariorum pugnando. Vnde non inmerito nos mittat ad arma dicens, *Induite uos arma Dei*.¹⁵ Arma enim spiritualia non grauant set alleuiant quoniam omnes uirtutes more leuium sursum ascendunt. Caritas enim ignis spiritualis est, unde sursum ascendit; similiter et alie uirtutes quas causas perficit. Econtrario est de armis diaboli quoniam multa ponderosa sunt et deorsum trahunt, unde in psalmo: *Iniquitates mee sicut onus graue grauate sunt* et cetera.¹⁶ Quod bene significatum est in libro Regum per hoc quod Daud se in armis Saulis se sensit // fol. 123vb // impeditum.¹⁷

[10] Attendendum autem quod omnes strenue pugnantes magnanimi debent esse siue fortes. Propter hoc in principio huius epistole uolens apostolus nos in bello spirituali animare dicit *Confortamini in Domino*,¹⁸ non in carne, sicut faciunt luxuriosi, non in mundo, sicut faciunt auari, non in potencia hominis, sicut faciunt superbi, set in Domino. Vnde preceptum erat in lege quod omnes timidi reuerterentur a prauo ne alios terrerent. Debent igitur esse fortes; non dico temerarii, set inter timorem et audaciam medio modo se habentes. Temerarii enim precipitanter agentes in fine franguntur. De

¹³ Ps 149:6

¹⁴ Ps 149:7

¹⁵ Eph 6:11

¹⁶ Ps 37:5

¹⁷ Cf. I Reg 17:38-39

¹⁸ Eph 6:10

quibus dicit Aristoteles in tercio heticorum: Illi quidam preuallentes in opibus deficiunt, fortes autem primitus taciti, in opibus autem sunt acuti.¹⁹ Propter hoc uolens apostolus nos presumere timorem incutit; per hoc quod aduersarium contra quam nobis est luctandum describit dicens ipsum esse dolosum, unde contra insidias diaboli. Innuit autem ipsum habere dignitatem et fortitudinem; dicens aduersus principes et potestates innuit autem ipsos habere adiutorium, scilicet mundum, dicens *rectores mundi*; innuit etiam illorum subtilitatem et nequitiam, dicens *contra spiritalia nequitię*. Cum igitur aduersarius noster talis sit merito eum sic describens timorem nobis incutit. Ex una igitur parte confortemur et ex alia uereamur ut sic medio modo inter temeritatem et pusillanimitatem progrediamur.

[11] Sciendum igitur quod aduersarius noster ingeniosus uarios uariis diecit ingeniis⁶.

Quosdam enim more aliorum luctantium in fortitudine brachiorum leuat et eleuatos precipitat, unde in psalmo: *Deiecisti eos dum alleuarentur*.²⁰ Hoc ingenio cadunt superbi et ambiciosi, quod bene significatum est in libro Macabeorum, ubi legitur quod Iosephus sociis suis dixit: 'Eamus et faciamus nobis nomen qui tandem deuictus est a Gorgia'.²¹ Iosephus interpretatur apponens festinationem, per quem uolentem sibi facere nomen intelliguntur superbi properantes ad honorem. Tales deuincit Gorgias, que interpretatur diuidens luctam, scilicet diabolus qui recte luctam diuidit quando temptationes suas quantum ad diuersos diuersi mode distribuit. Preterea tunc diabolus luctam alterius diuidit cum quis per eius temptationem succumbit, quoniam cum quis per temptationem deuincitur, iam non reluctatur, unde ab eo lucta diuiditur.

¹⁹ *non inu*

²⁰ Ps 72:18

²¹ Cf. I Mach 5: 57-59

[12] Tales autem sibi nomen facere uolentes multi sunt artiste ab hominibus salutari et uocari rabbi cupientes. Cum tamen dicat Dominus: *Nolite uocari rabbi;*²² non prohibet uocare set uocari. Bonum est enim alios honerando uocare rabbi set in crimine est sic uelle uocari. Sic econtrario dicimus malum erat Christum crucifigere, bonum tamen erat Christum crucifigi. Predicto eciam uicio laborant theologi, in multitudine nominum glorientes et propria nomina quibusdam ambiguius^f celantes. Qui dicuntur eciam archidiaconi loci illius, decani illius, tesurari alterius. Qui respondere possunt cum demonibus et quesiuit Dominus, ‘Quod uobis nomen est?’, ‘*Legio quod multi sumus*’,²³

[13] De talibus dicitur in psalmo: *Vocauerunt nomina sua in terris suis.*²⁴ Cum tamen secundum Domini sententiam, gaudendum electis *quia nomina eorum scripta sunt in celis.*²⁵ Sancti enim nominari non querunt in presenti set in futuro quod bene significatum est in hoc quod circumcisis die octaua facta est nominis inpositio; supradicto eciam ingenio proferuntur^g legiste filii contradiccionis. De quibus legitur in libro Iudicum: *Artauit Amorreus filios Dan in monte nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent.*²⁶ Amorreus interpretatur amari eius et significat diabolum qui ad amaritudinem tendit. Dan interpretatur causa uel iudicium.²⁷ Filii ergo Dan sunt filii cause quos artat diabolum in monte superbie. Nec dat eis locum ut ad planiciem humilitatis descendant. Nec tamen dicimus quod omnes exaltatos expediat descendere; si enim^h boni prelati sint equaliter procurat diabolum eorum descensum. Sicut et malorum ascensumⁱ quod bene significatum est in euuangelio cum Domino supra

²² Matt 23:8

²³ Cf. Marc 5:9

²⁴ Ps 48:12

²⁵ Luc 10:20

²⁶ Iud 1:34

²⁷ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 64)

pinnabulum constituto diceret diabolus: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.*²⁸ Similiter dixerunt Iudei: *Si rex Isrel est, descendat nunc de cruce.*²⁹

[14] Set hac consequencia miratur beatus Bernardus dicens: Immo si rex Isrel est, imperium triumphale non dimittet;³⁰ scriptum est enim *factus est principatus eius super humerum eius* set ualde mirandum est quod prauī prelati ita inuite descendant nec baculum pastorem dimittant. Non enim propter hoc ununtur eorum manus ut baculus tanquam glutinio eis firmiter coniungatur. Ipsi enim ita firmiter baculos tenent ac si unctione conglutinante dimittere non possent. Mirum enim est de anglicis cum solent diei reales qualiter nomina uana appet- // fol. 124ra // -entes omnes fere fiant nomines. Ridiculosum enim est genera et species res ponere indiuidua autem nominalia facere. Remedium igitur contra supradictum ingenium diaboli est more grauis luctatoris tenere descensum. Quoniam sicut dicitur in psalmo: *Ab altitudine diei timebo;*³¹ diei, scilicet prosperitas, unde Gregorius: 'Quid est potestas nisi mentis tempestas?'³²

[15] Alios alio modo deicit diabolus et confundit cum more iniqui luctatoris testiculos apprehendit. Propter quod prouidi luctatores in lucta nequicie pugnantes testiculos ligant et abscondunt. Preterea maxima uerecundia in lucta est si rumpatur lumbare in quam confusionem incidunt omnes cadentes uicio luxurie, contra quod uolens apostolus nos munire dicit in epistola hodierna: *State succincti lumbos in ueritate.*³³ Bene dicit 'in ueritate' quoniam multi sunt qui succingunt lumbos in uanitate non pure, scilicet pro Dei amore.

[16] Tales non accinguntur gladio super femur suum potentissime. Potenter accinguntur coniugati fideliter seruantes legem matrimonii; potencius continentis;

²⁸ Matt 4:6

²⁹ Marc 15:32; Matt 27:42

³⁰ *non inu*

³¹ Ps 55:4

³² Cf. Gregorius, *Regula pastoralis*, 1.9 (SChr 381, 160)

³³ Eph 6:14

potentissime uirgines, prudentes dico, non fatue. Ad hoc autem ut rumpatur lumbare multum facit habundancia, quod bene significatum est per hoc quod lumbare Ieremie iuxta Eufraten computruit.³⁴ Eufrates interpretatur ubertas; propter hoc gulosi incomedationibus et ebrietibus assidui computrescente lumbari confunduntur de facili.

[17] Tales autem quasi per guttur nititur diabolus strangulare, quod maxime contingit in anglicis, quoniam illos maxime diabolus suffocat potibus et cibus. O quam miserum est hominem in creuisia submergi sicut musce quod^j cum facit diabolus latenter dum tociens [reperitur] repetitur ciphus. Prouerbialiter dicitur niger equus bonus est set minis ipse bibit quod dicitur de anglico: ad sobrietatem nos spiritualiter inuitat temperata regio. Generaliter autem oris dispositio quoniam inter animalia magni corporis minus os habet homo.

[18] Preterea paruulus recenter natus manum ori apponit, quasi docens refrenare gulam per quam omnes in hanc incidimus miseriam. Preterea uulgariter dicitur prauus armiger est qui frenum obliuiscitur siue dimittit in stabulo. Quod spiritualiter completur in guloso quoniam dum superflue potum uel cibum sumit quasi frenum abstinencie in presepri relinquit. Item quibusdam hanchiam a dextris dat diabolus dum per prosperitatem decipit. Quibusdam uero hanchiam a sinistris quos per aduersitatem frangit.

[19] Item in lucta solebat prohiberi crocus uel uncus quod tamen libenter dat diabolus. Crocus enim exterius facit dum per mundum exteriorem pedes nostros, scilicet affectus attrahit et sic lubricare compellit. Crocus enim interius tribuit dum per aliquod quod in nobis est pedem affectus nostri labi facit. Item pugil egregius sub genu non solet percutere set diabolus more latronis eciam usque ad calcaneum attingere satagit.

³⁴ Cf. Ier 13:1-7

Vnde in Genesi: *Maria ipsa conteret capud tuum, diabolo et tu insidiaberis calcaneo eius.*³⁵ Per calcaneum finis intelligitur cui diabolus maxime insidiatur.

[20] Item attendendum est quod sicut luctator aduersarium genuculari facile brachium acquirit sibi placitum, similiter diabolus nobis fortius instat si ei prebeamus ingressum, propter quod dicitur, *principus obsta*. Si autem ei quis uiriliter resistat, sicut dicunt sancti non amplius sub eadem forma temptat, unde Iacobus: *Resistite diabolo et fugiet a uobis.*³⁶

[21] Item in lucta exteriori nisi cadant a tergo non iudicantur prostrati. Similiter est in lucta spirituali quoniam in theologia boni dicuntur cadere in faciem, sicut legitur de Ezechiele et discipulis Domini, quod ceciderunt in facies suas.³⁷ Mali eciam cadere dicuntur a tergo, sicut legitur de Heli in libro Regum, quod de sella fractis ceruicibus a tergo cecidit.³⁸ Videtur tamen alicui quod econtrario de casu bonorum et malorum debeat iudicari. Quoniam Dominum post tergum proiciunt mali ad quod dicendum quod cadentes a tergo nesciunt quo corruant, capite eciam infatuato magis impediuntur ut surgant quoniam si in faciem caderent, propter hoc cum boni uideant quo cadant et faciliter resurgant; dicuntur cadere in faciem mali autem non.

[22] Quod autem per luctam transire nos oporteat ad coronam significatum est in libro Regum quoniam ad hoc ut in regem iniungeretur^k Salomon precepit Daud ut duceretur in Sion. Sion interpretatur lucta set attendendum est quod aries supra rotam collocatus premium solet esse luctantium. Similiter enim est lucta spirituali, aries autem iste pro quo luctandum Christus est, qui supra rotam mutabilitatis collocatus est.

³⁵ Gen 3:15

³⁶ Iac 4:7

³⁷ Cf. Matt 17:6; Eze 2:1

³⁸ Cf. I Reg 4:18

[23] Quoniam Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, quod autem Christus dicatur aries habetur in Genesi ubi legitur quod pro Ysaac inmolatus est aries *herens cornibus inter uepres*.³⁹ Similiter Christus // fol. 124rb // herebat inter peccatores eum tanquam uepres pungentes et hoc per cornua, scilicet per testamenta quoniam occasionem eum tenendi et crucifigendi ex testamentis sumpserunt Iudei cum diceretur in ueteri testamento: Quicumque facit se filium Dei morte moriatur.⁴⁰ Christus autem nouum apportans testamentum se filium Dei fatebatur. Patet ergo quod aries noster cornibus testamentorum inter uepres tenebatur. Aries iste inmolabatur pro Ysaac, id est pro risu, scilicet ut gaudium nostrum reseruaretur.

[24] Dicitur autem Christus aries multiplici similitudine. Aries enim dux est gregis; similiter Christus dux est humane congregationis. Preterea aries gregi conformis est in natura; similiter Christus dux hominum factus est homo. Vnde patet ipsum esse pastorem secundum diuinitatem, similiter totam trinitatem set proprie Christus aries secundum humanitatem. De cornibus huius arietis iam manifestum est quoniam sicut due testamenta per que inimicos suos uentilauit et nos similiter inimicos nostros uincere docuit, quod bene patuit quando diabolus eum temptauit cui per auctoritates restitit.

[25] Item lana arietis magis est preciosa quam aliarum ouium. Similiter caro Christi inter omnes est purissima. Hec lana preciosa carpebatur quando de manu in manum transiuit de manibus, scilicet Iude in manus Iudeorum, de manibus Iudeorum in manus militum qui eum crucifixerunt. Set tandem a tot manibus sinistris processit ad dexteram patris, unde in psalmo: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*.⁴¹ Sic enim solet lana que carpitur transire a sinistra transire ad dexteram. Hec lana pectini ferro ad ignem tribulationis fuit infixata quando caro eius fuit crucifixa. In pectine enim

³⁹ Gen 22:13

⁴⁰ Cf. Leu 24:16; Ioh 19:7

⁴¹ Ps 30:6

continentur clavi et ligni; similiter in cribe hec lana in sanguine est fuso, tinctorum est quasi in scarleto.

[26] Item alia est proprietas arietis quod hieme instante niue terram cooperiente, niuem pede excutit et sic ouibus pabulum parat. Similiter Christus aries noster niuem scilicet mundi candorem excussit et pede, scilicet affectu suo excutere docuit, et sic ad pabulum accederet nobis. Pro isto, scilicet ariete, supra rotam mutabilitatis existente, nobis est luctandum ut legitime luctantes ipsum habeamus in premium.

[27] Item solent luctantes uiriliter agere propter circumspectores, nos autem in lucta spirituali circumspectores habemus spirituales curiam, scilicet super celestem. Vnde Augustinus in Regula: 'Denique si homines lateat, quid faciat super de¹ illo inspectore, quem latere nil potest?'⁴² Dicit eciam Boetius: 'Magna uobis, si dissimulare non uultis instat necessitas bene agendi cum cuncta agatis coram oculis iudicis cuncta cernentis'.⁴³ Vnde in psalmo: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*.⁴⁴ Saltem igitur propter inspectores nobis uiriliter est^m luctandum et si cadere nos accidat, statim est surgendum quoniam sic uulgariter dicitur: Turpius est prostratum diu iacere quam prostratum esse. Et hoc est quod dicitur: Humanum est peccare set diabolicum est perseuerare. Hec lucta de qua dictum est cum diabolo est set est alia que est cum angelo siue cum Domino, ut solent amici quandoque luctari.

[28] Secundum quod dicit amicus de amico: Vix eum luctando retinere potui. De hac lucta repetitur in Genesi ubi dicitur quod cum transisset Iacob uadum Iaboth erat solus. Ibique luctatus est cum uiro, siue secundum Osee cum angelo, usque mane, *qui dixit ei, 'Dimitte me, iam enim ascendit aurora'; et dixit Iacob, 'Non dimittam te nisi prius*

⁴² Augustinus, *Epistolae*, 211.10 (CSEL 57, 363)

⁴³ Cf. Boetius, *Consolatio philosophiae*, lib. 5, prosa 6 (CCSL 94)

⁴⁴ Ps 15:8

benedixeris mihi' et cetera.⁴⁵ Iaboth interpretatur torrens pulueris per quem significatur diabolus; torrens enim est aqua turbida ueniens de monte niue liquefacta, alias aquas turbans in quas incidit. Per quod significatur diabolus qui uenit de monte quia de celorum altitudine et hac niue liquefacta, scilicet sua pulcritudine quam prius habebat destructa. Et hoc quia nimis ad solem appropinquauitⁿ uel appropinquare uoluit quando dixit: *Ero similis Altissimo*;⁴⁶ Deus noster enim ignis consumens est; liquefacta igitur niue defluxit diabolus de monte, unde diabolus interpretatur defluens.⁴⁷ Et demum multas aquas turbauit, scilicet multos populos quia ut dicitur in Apocalypsi: *Aque multe populi multi*.⁴⁸ De conturbatione talium torrentum conqueritur ecclesia dicens: *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me*.⁴⁹

[29] Bene etiam significatur diabolus per uadum Iaboth quantum ad hoc quod dicitur uadum per uadum enim fit transitus et oportet ut per diabolos transeamus nobis in itinere nostro se opposcentes set ipsi econtrario de nobis uadum suum facere uolunt. Vnde in Ysaia dicunt: *Incuruare ut transeamus*.⁵⁰ Item transeuntes uadum conculcant ipsum; similiter oportet quod conculcemus diabolum, unde in psalmo: *Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem*.⁵¹

[30] Item transeuntes uadum ex collisione aquarum lauantur; similiter transeuntes temptationes diaboli ex collisione temptationum purgantur. Set attendendum quod transito uado et pedibus locis in transseundo statim iterum // fol. 124va // sordidantur per puluerem. Similiter multis temptacionibus superatis in promptum^o ut per puluerem inanis glorie sordidemur. Valde igitur cauendum est uicium quod ex uictoria nascitur

⁴⁵ Gen 32:26

⁴⁶ Isa 14:14

⁴⁷ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 135)

⁴⁸ Cf. Apoc 17:15

⁴⁹ Ps 17:5

⁵⁰ Isa 51:23

⁵¹ Ps 90:13

aliorum, sicut dicit Gregorius.⁵² Patet igitur qualiter per uadum Iaboth recte intelligitur diabolus quod recte dicitur torrens pulueris quoniam non nisi peccatores qui recte per puluerem designantur asportat. De quibus in psalmo: *Non sic inpii non sic; set tanquam puluis quem proicit uentus a facie terre;*⁵³ id est temptatio diaboli a presentia soliditatis eterne. Transito igitur tali torrente sequitur multociens consolatio que sentitur in luctando cum angelo, immo cum Domino, scilicet in contemplando.

[31] Lucta autem ista est conatus mentis dulcedinem Dei sentire et uisitacionem Domini diu retinere conantis que fit cum oracionibus et lacrimis. Vnde de predicta lucta Iacob loquens Osee dicit, *rogauit et fleuit et ad angelum inualuit.*⁵⁴ O quanta dulcedo quod angelus magni consilii, scilicet Dominus, se ab homine fragili permittit uinci et quasi uiolenter retineri quod significatur per hoc quod dixit angelus, 'Dimitte me'.⁵⁵ Vult enim Dominus ut quasi magna improbitate ei instemus et eum quasi uiolenter retineamus, unde in euuangelio: *Propter improbitatem surget et cetera.*⁵⁶ Et alibi: *Regnum celorum uim patitur et uiolenti rapiunt illud.*⁵⁷ Propter hoc ut magis sollicitatis et anxii simus eum retinere, dicit, 'Dimitte me' et quasi fingit se longius ire. Sollicitudo autem et anxietas retinendi eum significatur per responsionem Iacob qui dixit, 'Non dimittam te', et sponsa in Canticis de dilecto dicit, 'Tenebo eum nec dimittam'.⁵⁸

[32] Set tamen non potest dulcedo contemplacionis hic esse diuturna quia uult Dominus quod pregustetur in uia et plene senciatur in patria, quin satiabimur cum apparuerit gloria sua. Vnde in Apocalypsi: *Facta est quies in celo quasi hora dimidia;*⁵⁹ 'in celo', id est in anima per contemplationem eleuata. Et in euuangelio discipulis de

⁵² Cf. Gregorius, *Registrum epistularum*, IX, 162 (CCSL 140A)

⁵³ Ps 1:4

⁵⁴ Os 12:4

⁵⁵ Cf. Gen 32:26

⁵⁶ Luc 11:8

⁵⁷ Matt 11:12

⁵⁸ Cf. Cant 3:4

⁵⁹ Cf. Apoc 8:1

predicatione uenientibus dixit Dominus, 'Venite huc et quiescite pusillum';⁶⁰ uere pusillum quia arra hereditatis eterne data et dulcedine quam nobis uendit Dominus parum pregustata. Recedere ualens iam dicit sponsus, 'Dimitte me'; hoc autem expedit ut sponsus uicissim recedat ne magnitudo consolationis illam extollat. Et alios contempnere faciat ne uia reputetur pro patria, ne arra recipiatur pro precii summa. Recedit igitur sponsus diu desideratus cito elapsus, ut auidius queratur et quesitus, gratius inueniatur et inuentus, gloriosius retineatur. Bene autem dicitur quod Iacob in lucta tali erat solus quoniam anima solitaria^P et a strepitu mundi apparet ei Dominus, unde in Osee: *Ducam in solitudinem, et sequitur, loquar ad cor eius.*⁶¹

[33] Attendendum autem quod in ascensu amore non statim dimittendus est Dominus antequam benedixerit, quoniam non decet nobis sufficere quod mens per cognitionem illuminetur nisi etiam dona graciaram in nobis augeantur. Propter hoc angelo dicenti 'Dimitte me', iam ascendit aurora, recte respondit Iacob, 'Non dimittam te quousque benedixeris mihi'. Ex hoc patet stultos fuisse philosophos qui cum magno mentis luctamine Deum cognouissent; eum reliquerunt in ascensu aurore. De quibus apostolus: *qui cum Deum cognouerunt non sicut Deum glorificauerunt set euanuerunt in cogitationibus suis.*⁶² Isti non expectauerunt benedictionem cum Iacob quasi dicerent, 'Sufficit nobis ascensus aurore', id est accessus cognitionis, 'iam licenciamus te'. Mortificato igitur neruo femoris mutatum est nomen Iacob in Isrel. Tunc autem neruus femoris mortificatur quando carnalitas absorbetur, quia sicut Augustinus dicit, Gustato spiritu desipit omnis caro.⁶³ Sicut enim in quibusdam uiciis carnalibus fit homo animalis, similiter in predicta contemplatione quia quando scilicet mens in Domino

⁶⁰ Cf. Marc 6:31

⁶¹ Os 2:14

⁶² Rom 1:21

⁶³ non inu

suspensa et supra se mirabiliter eleuata eterna gaudia, fit totus spiritualis, ut iam in archa Noe omnia sint pacifica, ut adimpleatur quod dicitur in psalmo: *Cor meum et caro mea exultauerunt in Deum uiuum.*⁶⁴

[34] Mutatur autem nomen Iacob in Isrel quoniam post uiciorum subplantationem et crebram in temptationibus luctationem peruenitur ad ueritatis cognitionem et mentis stabilitatem, unde Isrel interpretatur 'uidens Deum' uel 'fortis cum Domino'.⁶⁵ Vnde dicit Gregorius: Custodia mandatorum intelligentiam aperit mandatorum. Et in psalmo: *Super senes intellexi quia mandata^q tua exquesiui.*⁶⁶ Rectus igitur ordo discendi esset; quicquid dicant logici post bonam uitam tendere ad scienciam, scienciam dico sanctorum. Det igitur Dominus nos ita uiriliter luctari per meritum ut arietem nostrum, scilicet Ihesum Christum, super rotam mutabilitatis constitutum recipiamus in premium, quod nobis prestare et cetera.

^a non] on *ms*

^b dicuntur] dicunt *ms*

^c enim] sibi *ms*

^d interpretantur] interpretatur *ms*

^e ingeniis] *corr. ex* ingneis

^f ambiguius] ambiguus *ms*

^g proferuntur] proferuuntur *ms*

^h si enim] *corr. ex* sin

ⁱ ascensum] *corr. ex* descensum

^j quod] *corr. ex* quando

^k iniungeretur] inungeretur *ms*

^l super de] *corr. ex* de super

^m agendum *expung. in ms*

ⁿ appropinquauit] *corr. ex* appropinquat

^o inpromptum] inpromptuem *ms*

^p solitaria] salitoria *ms*

^q mandata] t *ms*

⁶⁴ Ps 83:3

⁶⁵ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 139)

⁶⁶ Cf. Ps 118:100

T71 Diliges Dominum Deum tuum

fols 124va-125va

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua.*¹

[1] *Sapiens corde precepta suscipit, stultus labiis ceditur*, ita legitur in Prouerbiis.²

Sapiens cor suum defert quia intus thesaurum suum habet et cor est ubi thesaurus; iuxta Matheum, *ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum.*³ Thesaurus autem sapientis est anima ipsius^a. De quo thesauro dicit apostolus, *Habemus thesaurum preciosissimum in uasis fictilibus;*⁴ et bene dicit 'preciosissimum' quia magno precio fuit emptus ille thesaurus.

Stultus autem non defert // fol. 124vb // secum cor suum quia foris est quod amat. Nec enim diligit de hiis que intus habet. Non enim diligit uiscera sua quia, ut dicit Ecclesiasticus: *In uita sua proiecit intima sua,*⁵ scilicet per nimiam sollicitudinem terrenorum nec diligit animam suam^b quia *per maliciam <animam> suam*, ut legitur in libro Sapiencie.⁶ Patet igitur quod non diligit aliquid eorum que intus habet. Ergo non defert cor suum secum, non potest igitur bene recipere uerbum Dei nec uult. Nemo enim uolens intonare ceruisiam uel uinum poteret intonarium ex una parte et tonellum ex alia.

[2] Stultus enim sic facit. Ipse enim secum defert intonarium, scilicet aurem domi relinquit tonellum, scilicet cor. Auarus enim relinquit cor in archa cum nummis; gulosus in olla et sic de aliis et propter hoc uacuus est. De sermone recedit quia nichil secum detulit^c quo possit retinere uerbum infusum. Si enim detulit cor fractum, siue iuxta illud Ecclesiastici: *Cor fatui quasi uas confractum omnem sapienciam non*

¹ Matt 22:37

² Prou 10:8

³ Matt 6:21

⁴ II Cor 4:7

⁵ Eccli 10:10

⁶ Sap 16:14

*retinebit.*⁷ Per tot enim frangitur cor, quot sunt ea que diligit. Item summatur exemplum de olla fracta in qua femina ponat plumas et cineres.

[3] Sequitur *stultus labiis ceditur*. Dicit enim, 'Deus quam aspere loquitur iste'. Respondeo: Frater, qualiter hoc est et qualiter hoc tibi uidetur, tu enim non permittis uerba transire usque ad peccata set opponis cor tanquam clipeum et ita sagitte Domini que diriguntur ad interfectionem peccatorum cadunt super cor tuum et ita uulnerant^d. Magna dementia est scutum hominem facere inimico suo mortali. Rogate et cetera.

[4] *Diliges Dominum Deum tuum* et cetera. Istud exponit beatus Bernardus dicens, 'Diligendus est Deus fortiter, sapienter et suauiter siue dulciter; fortiter ne abstracti a diabolo, sapienter ne decepti a mundo, suauiter siue dulciter ne illecti a corpore proprio'.⁸ Fortiter quantum ad uim irascibilem, sapienter quantum ad rationabilem, dulciter quantum ad concupiscibilem. Ad hoc quod homo fortiter diligit, oportet quod sit fortis. Quis autem sit fortis nos instruit Cassiodorus dicens: 'Omnis fortitudo est humilitate'.⁹ Non est mirum quia ut habetur in Prouerbiis: *Vbi fuerit humilitas, ibi est sapientia*,¹⁰ scilicet increata. Et Ysaias: *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem* et cetera.¹¹ Qualiter presumpserit Salomon dicere quod *ubi fuerit humilitas* et cetera, non miror; prospexit Dominum esse aquilam ut dicit Iob: Aquila autem perspicacem uisum habet uidens a remotis cadauera.¹² Ita Deus perspicatissimum habet uisum, iuxta illud Ecclesiastici: *Oculi Domini multo plus lucidiores circumspicientes omnes uias hominum*.¹³ Cadauera appetit, ut dicit Iob: *Vbicumque fuerit cadaueri statim*

⁷ Eccli 21:17

⁸ Cf. Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 20.4 (*Opera*, I, 116)

⁹ Cf. *Glossa ord.*, II, 574

¹⁰ Cf. Prou 11:2

¹¹ Cf. Isa 11:2

¹² Cf. Iob 39:27-30

¹³ Eccli 23:28

adheret aquila, scilicet Christus. Humile autem est cadauer iudicio suo. Attrahit igitur humilitas Deum tanquam cadauer aquilam. Non est igitur mirum si ab humilitate omnis fortitudo, habet enim eum hospitem a quo omnis fortitudo. Et propter hoc dicit Augustinus: 'Humilitas custodit in omni temptatione',¹⁴ ut illi non crepent in fornace qui non timent uento superbie. Custodit humilitas fortitudine sua.

[5] Diabolus quinque modis recipit homines. Superbos per falsum honorem, facit enim eos intelligere quod sit honor preesse cum tamen sit seruitus. Secundum quod dicit beatus Gregorius: 'Tantum pondera super se unusquisque sustinere compellitur quantis in hoc mundo principatur'.¹⁵ Hic portans honera inclinat capud. Similiter debent ipsi inclinare capud non erigere per superbiam. Capud autem erigere ut dicit Ieremias signum superbie est.¹⁶ Manifestum est igitur quod non est honor preesse.

[6] Auaros et cupidos decipit per falsam <sapienciam>, facit enim eos intelligere quod sit sapiencia congregare ligna putrida que lucent de nocte quod non faciunt nisi pueri. Et propter hoc dicit apostolus ad Chorinthios prima: *Sapiencia huius mundi stultus est apud Deum.*¹⁷ Et Iob: *Diues cum dormierit nichil secum afferet aperiet oculos suos et nichil inueniet.*¹⁸ Manifestum est igitur quod auaros et cupidos et huiusmodi per stultam sapienciam decipit.

[7] Luxoriosos per falsam delectationem et suauitatem, facit enim eos intelligere quod sit dulcedo quod est maxima amaritudo. Vnde Bernardus: Omnis dulcedo carnalis in amaritudine finit,¹⁹ ut manifestum est in guloso et in potatore. Humiles nititur decipere per obprobria illata suis membris uel per maximas tribulaciones set humilis non abhorret obprobria, considerans se esse lutum uilissimum. Scit enim quod non est

¹⁴ Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, 120.14 (CCSL 40)

¹⁵ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 9.16 (CCSL 143, 475)

¹⁶ recte Neh 9:16

¹⁷ I Cor 3:19

¹⁸ Iob 27:19

¹⁹ non inu

contempnendum siue spernendum nisi super uilissima. Saluator enim noster hoc optime considerauit, unde dicit in Ysaia: *Faciem meam non auerti ab increpantibus et conspuentibus in me.*²⁰ Considerauit enim se^e esse lutum et propter hoc non fuit offensus, immo ut legitur in euuangelio orauit per illis dicens, '*Pater ignosce illis quia nesciunt quod faciunt*'.²¹ Ipsi enim obtulerunt ei quod querere uenit, unde orauit pro ipsis. Similiter religiosi facerent si ingrederentur claustrum propter obprobria tolleranda; non enim offenderent quando sibi offerrent, scilicet obprobria illi autem qui offenduntur. Patet quod non querunt obprobria, immo laudes, quia ut dicit Gregorius: '*Qui laudes ne querit // fol. 125ra // contumelias non sentit*';²² amena autem ista sustinet humilitas.

[8] Ergo similiter humilis non abhorret tribulationes considerans se esse terram, iuxta illud in Genesi: *Terra es et in terra ibis.*²³ Non offenditur igitur quoniam foditur siue aratur per uerbera^f cum apostolo dicit ad Corinthios prima: *Repletus sum consolatione et superhabundo gaudio in omni tribulatione mea.*²⁴ Et saluator noster considerauit se esse terram. Vnde non fuit offensus quando habuit dorsum aratum per uerbera asperima, unde dicit in Ysaia: *Corpus meum dedi percucientibus et genas meas uellentibus.*²⁵ More coloni fecerunt Iudei in saluatore, ubi autem colonus non potest contingere per carucam, ibi fodit. Similiter Iudei ubi non potuerunt attingere per uerbera, foderunt per clauos, unde *Foderunt manus meas et pedes meos et dinumerauerunt omnia ossa mea.*²⁶ Patet igitur quod omnibus modis humilis uincit diabolum et temptationes eius, scilicet predictas. Vndique manifestum est igitur quod ab

²⁰ Isa 50:6

²¹ Cf. Luc 23:34

²² Cf. *Glossa ord.*, II, 388; Gregorius, *Moralia in Iob*, 6.28 (CCSL 143, 317)

²³ Cf. Gen 3:19

²⁴ II Cor 7:4

²⁵ Isa 50:6

²⁶ Ps 21:17-18

humilitate omnis fortitudo. Potest igitur fortiter diligere iuxta consilium Bernardi dicentis, 'Diligendus est Deus fortiter'.

[9] Ille autem qui non est fortis non potest fortiter diligere. Talis est superbus, dicit enim Cassiodorus: 'Fragilis est omnis superbia'.²⁷ Vere fragilis est quia ad flatum adulationis uel uerbi contumeliosi cadit. Non est igitur fortis et ita non potest fortiter diligere. Non est igitur credendum superbo dicenti quod Deum diligat quia ut dicit Dominus in Canticis: *Fortis est ut mors dilectio*.²⁸ Quid autem hic scit dictum exponit Gregorius dicens: 'Quem perfecte caritas absorbuerit, insensibilem reddit'.²⁹ Bene igitur concordit cum hoc quod dicit *fortis est ut mors et cetera*, quia mors insensibilem hominem reddit, ita dilectio Dei. Ille enim qui Deum diligit non sentit uerbum contumeliosi quia, ut dicit Iob, *Suspendium elegit anima mea*.³⁰ Quod exponens Gregorius ait, 'In altum mentem fixerat et ideo ad eum hostis irrumpere non ualebat'.³¹ Superbus autem figit cor in terrenis et ideo sentit. Patet igitur quod superbus non diligit. Quod patet per aliam proprietatem ipsius mortui, scilicet diligentis Deum, mortuus enim non sentit honus maximum. Superbus autem sentit et ualde grauatur; non enim potest illud honus ferre quod dicit Dominus in Ecclesiastico: *Humilia spiritum tuum ualde quoniam uindicta carnis impii ignis et uermes*.³² Istud honus non potest ferre superbus quia non potest humiliare se set, si Deum diligeret, utique leue esset. Vnde Augustinus: 'Preceptum Domini, quomodo graue est cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quilibet non diligit, et ideo graue est; aut diligit, et ideo graue esse non potest'.³³ Quia ut dicit alibi: 'Amanti nichil est difficile'.³⁴ Exemplum de iuene amante puellam. Superbo

²⁷ Cf. *Glossa ord.*, II, 574

²⁸ Cant 8:6

²⁹ Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 11.2 (PL 76, 1115)

³⁰ Iob 7:15

³¹ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 3.8 (CCSL 143, 121)

³² Eccli 7:19

³³ Cf. Augustinus, *De natura et gratia*, 69 (CSEL 60, 298)

³⁴ Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, 67.18 (CCSL 39)

est difficile et ideo non amat, scilicet Deum. Et ideo Deus eum non diligit quia ipse diligentes se diligit, unde in Prouerbiis: *Ego diligentes me diligo et qui mane uigilauerit ad me inueniet me.*³⁵ Vigilat ad Deum qui cito incipit bene facere; ille talis inueniet Deum quod non facient qui expectant cum fatuis uirginibus. De quibus Gregorius: ‘O si sapere possit in cordis palato quid habet admirationis quo dicitur *sponsus uenit*, quid habet dulcedinis quo dicitur *et intrauerant cum eo ad nuptias*; quid habet amaritudinis quo dicitur *clausa est ianua*’.³⁶ Tunc regni lugentibus ianua claudetur que modo penitentibus cotidie aperitur.

[10] Patet igitur quod Deus superbum non diligit, predicta de causa et pluribus aliis. Superbus est equus diaboli. Ipse est equus de quo psalmista: *Fallax equus ad salutem.*³⁷ Superbus enim potest dicere cum demoniaco in Marco, ‘*Nomen mihi legio est*’,³⁸ superbus enim portat legionem. Quilibet enim eius capillus compositus^h demonem portat. Non est mirum si de superbo diabolus faciat equum quia fortis est in seruicio suo. Debilis autem in seruicio Dei, ut patet in sacerdote qui non potuit legere grossissimam literam, potuit tamen optime computare punctos. In talis patet etiam de milite qui infinitos ictus potest pati pro pompa acquirenda, qui nec unicum pro Deo.

[11] Alia de causa de superbo facit equum more militum qui in exercitum equitant equum per quam estimant magis acquirere, ita facit diabolus. Diabolus enim bene percipit quod per superbum magis acquirit. Superbus enim transsiens ubi est congregatio hominum siue in foro siue in ecclesiam fere omnes prosternit. Omnes enim prosternit quia superbia eiusⁱ dedignatur. Merito igitur de ipso facit equum, libentissime autem de superbo clerico quia per ipsum omnes prosternit, unde Zacarias posuit Isrelem

³⁵ Prou 8:17

³⁶ Cf. Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 12.4 (PL 76, 1120)

³⁷ Ps 32:17

³⁸ Marc 5:9

id est clericum, *quasi equum glorie sue in prelio*.³⁹ O si attenderent quid dicat Bernardus, non permetterent se fieri equos diaboli. Dicit enim sic: 'O preciosam sponsam talibus traditam paranimphis! Qui eius dedicata cultui, suo mancipari questui non uerentur'.⁴⁰ Mirum est quod clerici aliud esse aliquid uideri uolunt; habitu milites, questu clerici, actu uentrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites neque euuangelizant ut clerici et quia nullum ordinem obseruant, // fol. 125rb // detricentur in loco ubi 'nullus ordo set sempiternus horror inhabitat', ut dicit Bernardus.⁴¹ Si eciam attenderent illud Bernardi, uenient ante tribunal iudicis ibi erit clamor pupillorum, allegatio dura quorum uixere stipendiis non diluerunt peccata, immo potius augmentauerunt pena et pessimo exemplo suo.

[12] Audiant eciam quid dicat^k alibi Bernardus, scribens cuidam nepoti suo: 'Conceditur tibi ut si bene deseruis, de altario uiuas; non ut de altario luxurieris, non ut inde superbias, non ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria de argentata, in collo et in manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique si quicquid preter necessarium uictum ac simplicem uestitum de altario retinet, non tantum rapia est set sacrilegium est. Orabat quippe sapiens *tantum uictui suo tribui neccessaria ne superfluum*.⁴² Et apostolus, Habentes uictum et quibus tegamur,⁴³ non quibus superbiamus, quibus operiamur, non lasciuiamus, non quibus mulierculis simulari uel placere studeamus'.⁴⁴ Videtur manifeste quod mulierculis uelint placere qui preciosis uelint indui uestimentis quia, ut dicit Gregorius, 'Nemo querit preciosa uestimenta nisi ad inanem gloriam, ut uidelicet honorabilior ceteris uideatur. Nemo enim uult ibi

³⁹ Zach 10:3

⁴⁰ Cf. Bernardus, *De consideratione*, 3.20 (*Opera*, III, 448)

⁴¹ Bernardus, *De consideratione*, 3.20 (*Opera*, III, 448)

⁴² Cf. Prou. 30:8

⁴³ Cf. I Tim 4:8

⁴⁴ Cf. Bernardus, *Epistolae*, 2.11 (*Opera*, VII, 21)

preciosis uestibus indui, ubi non potest ab aliis uideri'.⁴⁵ Caueant igitur clerici ne per superbiam fiant equi diaboli propter predicta inconuenientia.

[13] Et notandum quod non solum odit Deus superbum quia equus est diaboli set quia cecus est, scilicet cecitate cordis. Quod superbus sit cecus testatur Augustinus dicens, 'Adeo cernit cecitas¹ cordis superbi, ut omnia uelit habere bona preter se'.⁴⁶ Etenim quod bene uiuere displicet se, esse bonum non uult. Non est igitur mirum si Deus odit ipsum; odit eciam esse eum qui maior uult esse se. Superbus enim uult ut uoluntas sua fiat iuste siue iniuste, Deus autem non nisi iuste. Quantum igitur quod iniuste uult superbus ita plus uult habere et ita uult esse super Deum. Odit eciam eum quia aufert sibi gloriam suam cum tamen dicit in Ysaia: *Gloriam meam alteri non dabo*;⁴⁷ gloria autem Domini est quod ipse est principium omnium bonorum. Superbus autem uult esse principium bonorum que facit. Vult enim ut de ipso dicatur 'Ipse fecit hoc', et ita aufert a Domino gloriam. Cum tantum dicat *Gloriam meam alteri non dabo*, quid ergo dabit nobis? Cui Dominus: *Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis*.⁴⁸ Cui Bernardus: 'Gratanter suscipio quod relinquis, et relinquo quod retines'.⁴⁹ Vnde religiosi dicentes 'Gloria patri' inclinant, non sibi attribuentes gloriam; immo ipsam fugant cum psalmista dicentes, *Non nobis Domine non nobis set nomini tuo da gloriam*.⁵⁰ Multiplex igitur causa est quare non diligatur superbus a Deo nec quod ipse diligat Deum et non diligit nec fortiter diligit. Non igitur adimplet quod dicit Bernardus, quod 'fortiter sit diligendus'.

[14] Sequitur diligendus est sapienter. Ad hoc autem quod homo sapienter diligat, exigitur quod sit sapiens. Quis autem sit sapiens nos docet Bernardus dicens: 'Sapiens

⁴⁵ Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 40.3 (PL 76, 1305)

⁴⁶ Augustinus, *Sermones*, 339.5 (ed. Lambot, 116)

⁴⁷ Isa 48:11; Isa 42:8

⁴⁸ Ioh 14:27

⁴⁹ Bernardus, *Sermones super Cantica Canticorum*, 13.4 (*Opera*, I, 71)

⁵⁰ Ps 113:9

est cui res prout sunt sapiunt'.⁵¹ Talis autem est pauper spiritalis parum enim sapiunt terrena, multum autem^m celestia; patet igitur quod sit sapiens. Alia de causa est sapiens: Diligit enim margaritam qua emitur regnum celorum, scilicet paupertatem. Vnde Dominus loquens ad Augustinum dicit: 'Venale uenale habeo'. 'Quid?' Eciam cui Dominus 'Regnum celorum'. Cui Augustinus: 'Quo emitur?' Cui Dominus: 'Paupertate regnum, dolore gaudium, labore quies, ignominia gloria, morte uita'.⁵² Patet igitur quod per paupertatem emitur regnum celorum. O igitur quam infelices sunt qui paupertatem non diligunt, diligentes terrena uilissima, que ab apostolo ad Philippenses uocantur stercora. Dicit enim: Omnia hec reputam ut stercora et cetera.⁵³ Non sunt diligenda propter uilitatem. Bene igitur ostendunt quod non sunt filii Dei et quod degenerant qui huiusmodi stercora diligunt, relinquentes magna et ineffabilia gaudia. Exemplum de filio regis.

[15] Patet igitur quod sunt stulti isti tales et ita non possunt sapienter diligere. Pueri enim nesciunt sapienter diligere, preponunt enim dileccionem pomi dilectioni regni. Vnde Salomon in Prouerbiis uocat diligentes terrena paruulos dicens, *Auersio paruulorum interficiet eos et cetera*.⁵⁴ Quod exponens Augustinus ait, Paruulus est cuius sensum non capit estimatio magnorum.⁵⁵ Vnde igitur sunt dicendi auari paruuli qui nesciuntⁿ intelligere illa uera bona nec diligere quia, ut dicitur Gregorius, 'Mentes carnalium diligere bona est non ualent nisi que carnaliter uident',⁵⁶ et propter hoc non diligunt nisi bona presencia. Contempnenda sunt presencia quia sunt falsa bona; unde Gregorius: 'Si bona presentia uera bona essent, non utique ea aduersariis suis tribueret,

⁵¹ Bernardus, *Sermones de diuersis*, 18.1 (*Opera*, VI/1, 157)

⁵² Cf. Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, 93.24 (CCSL 39)

⁵³ Cf. Phil 3:8

⁵⁴ Prou 1:32

⁵⁵ *non inu*

⁵⁶ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 10.30 (CCSL 143, 574)

set aduersariis tribuit quia paganis et Iudeis et ceteris malis'.⁵⁷ Patet igitur quod non sunt uera bona.

[16] // fol. 125va // Tercia de causa sunt contempnenda quia minima sunt. Omnia enim gaudia terrena non sunt nisi tanquam gutta roris respectu gaudii minimi celestis, unde dicens in libro Sapiencie: *Virtuti brachii quis resistet quoniam tanquam momentum statere sic ante te orbis terrarum et tanquam gutta roris ante lucani que descendit in terram*^o.⁵⁸ Vere igitur sunt modica ex quo non sunt nisi gutta coram Deo. Exemplum de asino comedenti cardones et non sentienti eorum puncturas^p; exemplum de filio regis qui se semper manus poneret in fetibus; non diceretur esse filius regis.

[17] Contempnenda sunt quarta de causa quia amara sunt. Vnde Gregorius in Dialogo: 'Contempnendus esset hic mundus etsi rebus propriis animum demulceret; ac ubi tot aduersitates ingeminat, tot calamitatibus animum pulsat. Quid aliud quam ne diligatur clamat?'⁵⁹ Nichil, scilicet. Hiis de causis non diliguntur nisi a stultis, scilicet auaris et si stulti, non possunt sapienter diligere et ita non implent hoc quod dicit Bernardus, hoc scilicet: 'Diligendus est Deus sapienter'.

[18] Sequitur diligendus est suauiter uel dulciter. Ad hoc quod homo dulciter diligat, exigitur quod sit dulcis. Quales sunt casti corde et corpore qui nullam inmundiciam diligunt, ita tales diligunt dulciter. Luxuriosus non potest dulciter diligere quia fetidus est. Iudicio enim Dei porcus est, unde *Intuitus sum et non erat homo*,⁶⁰ immo porcus, unde Augustinus: 'Qui celesti ymagine nomen hominis amittit et pro qualitate uisu^q nomen assumit porcus uel asinus uel huiusmodi'.⁶¹ Luxuriosus autem diligens inmundiciam porcus uocatur. Sus enim existens in uoluptatibus luti estimat se esse in

⁵⁷ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 14.6 (CCSL 143A, 701)

⁵⁸ Sap 11:22-23

⁵⁹ Cf. Gregorius, *Dialogi*, 3.38 (SChr 260, 430)

⁶⁰ Ier 4:25

⁶¹ recte cf. Ambrosius, *Expositio in Psalmos*, 10 (CSEL 62, 210)

paradiso, non putans magis gaudium esse. Ita luxuriosus non putat maius gaudium esse quam putrescere in stercore iumentorum. De quibus Ioel: *Conputruerunt ut iumenta in stercore suo.*⁶² Isti tales non possunt dulciter diligere et ita non implent illud Bernardi, 'Diligendus est Deus dulciter'.

[19] Ostenso qui sunt qui Deum diligant et qui non et modo diligendi eum; restat dicere qualiter est diligendus. Diligendus est autem quia nos diligit, diligit utique nos magis quam mater filium. Vnde Ysaïas: *Nunquid potest mater obliuisci infantem suum ut non misereatur filio uteri sui et si obliuiscatur eius non obliuiscar tui.* Causam autem subdit qualiter non potest obliuisci. *Ecce in manibus meis descripsi te et muri tui coram oculis meis frater semper.*⁶³ Et non solum diligit nos plus quam mater filium, immo plus quam sponsus sponsam, unde dicit per Ieremiam, loquens ad animam: *Fornicata es cum amatoribus tuis dum reuerte ad me et ego suscipiam te.*⁶⁴ Et non solum predictis modis diligit, immo plus quam animam corpus, unde in Iohanne: *Maiorem caritatem et cetera.*⁶⁵ Immo 'Domine, tu maiorem habuisti qui etiam pro inimicis posuisti', dicit Bernardus.⁶⁶ Vnde apostolus: *Cum enim inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii eius;*⁶⁷ unde apostolus: *Commendat autem Deus suam caritatem in nobis,*⁶⁸ qui proprio filio non pepercit set pro omnibus nobis tradidit. Hiis tribus de causis est diligendus. Rogate ergo Deum et cetera.

⁶² Ioel 1:17

⁶³ Isa 49:15-16

⁶⁴ Ier 3:1

⁶⁵ Ioh 15:13

⁶⁶ Cf. Bernardus, *Sermo in feria IV hebdomadae sanctae*, 4 (*Opera*, V, 58)

⁶⁷ Rom 5:10

⁶⁸ Rom 5:8

-
- ^a ipsius] ipius *ms*
^b suam] meam *ms*
^c quo posset *expung. in ms*
^d uulnerant] uulnerat *ms*
^e se] *add. in ms*
^f in *expung. in ms*
^g uermes] uermis *ms*
^h compositus] *corr. ex* compositus
ⁱ prosternatur *expung. in ms*
^j inhabitat] inhabitans *ms*
^k dicat] *corr. ex* dicant
^l cecitas] *corr. ex* cecidas
^m autem] *corr. ex* enim
ⁿ nesciunt] nec sciunt *ms*
^o terram] terra *ms*
^p puncturas] pucturas *ms*
^q uisu] uisii *ms*

T72 Ecce ego mittam in fundamentis Sion

fols 125va-126ra

*Ysaïas: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem et preciosum.*¹

[1] Dicit Salomon in Prouerbiis: *Vbi plurime segetes, ibi manifesta est fortitudo boum.*² Boues sunt prelati et predicatorum qui colere debent terram Domini; iuga sunt precepta Domini, unde Ieremias: *Beatus est qui portauerit iugum Domini ab adoleſcencia ſua.*³ Quid decet bos facere? Colere decet terram. Sit predicator qui terram, id eſt cor humanum, habet ad colendum; colere decet predicationem. De quibus dicit Salomon: *Vbi non ſunt boues, ibi preſepe uacuum eſt.*⁴ Set ſunt boues quidam qui mittuntur in largam paſturam ut fiant pingues. Ad quid^a? Ad occidendum. Qui ſunt iſti decani et archidiaconi, unde Ieremias: *Congrega eos quaſi gregem ad uictimam in die occiſionis.*⁵ *Congrega*, id eſt congregabis ſet quidam adiungunt uitulos lactantes aratro. Hii uituli ſunt radis certi prelati qui relinquunt terram Domini incultam, unde Ieremias: *Multi paſtores demolliti ſunt uineam meam et dederunt portionem meam deſiderabilem in terram ſolitudinis.*⁶ Semen eſt uerbum Dei, unde *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.*⁷

[2] Sepe contingit quod terra bene colitur et bono ſemine ſeminatur et tamen non producit fructum quia terra non eſt bona. Illi qui non ſunt terra bona ſunt quaſi Iudei qui in tribus ſolempnitatibus ſolebant ire Ieruſalem, ita ſunt iſti terra mala qui non libenter

¹ Isa 28:16

² Prou 14:4:

³ Thren 3:27

⁴ Prou 14:4

⁵ Ier 12:3

⁶ Ier 12:10

⁷ Luc 8:5

uerbum Dei audiunt. De quibus dicitur per Aggeam prophetam: *Seminastis multum et intulisti^b parum.*⁸ Set quamuis terra colatur et seminetur, tamen surgunt herbe inutiles segetes prosternentes. Hii sunt herbe inutiles que congregationem fidelium perturbant. Item semen manu seminatur; per manum intelligitur opus. Sic [debet] uerbum Dei debet manu, id est bona operatione seminari. Istud semen non potest seminari sine gracia // fol. 125vb // Dei.

[3] *Ecce ego mittam* uos; loquitur Dominus per Ysaïam de aduentu suo in mundum, dicens, *Ecce ego* et cetera. Syon interpretatur speculum uel speculam;⁹ *in fundamentis* dicit pluraliter quoniam triplex est fundamentum. Fundamentum principale, id est Dominus, de quo dicit apostolus: *Hoc est fundamentum quod nemo mutare potest.*¹⁰ Fundamentum, id est prophete, unde in Apocalipsi: *Fundamenta muri omni lapide precioso ornata.*¹¹ Fundamenta, id est apostoli, unde propheta: *Fundamenta eius in montibus sanctis.*¹² Lapis iste Christum significat, unde dictum est Zacharie: *Dabo tibi lapidem primum habentem oculos vii et celabo sculpturam eius et per eam delebitur iniquitas terre.*¹³ Oculi sunt vii dona spiritus sancti. Lapis iste sculptus erat infixione^c clauorum in manibus et in pedibus Christi. De isto lapide loquitur Ysaïas: *Ingredere in petram et abscondere in fossa humo.*¹⁴ Set sicut serpens angustum foramen lapidis querit et per illud foramen transsiens ueterem pellem deponit, sic nos in foraminibus uulnerum Christi. Debemus ueterem pellem, id est peccatum mortale, deponere ingrediendo in petram, id est in Christum, et memorando eius passionem et mortem.

⁸ Agg 1:6

⁹ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 108)

¹⁰ Cf. I Cor 3:11

¹¹ Apoc 21:19

¹² Ps 86:1

¹³ Cf. Zach 3:9

¹⁴ Isa 2:10

[4] Item de isto lapide loquitur Daudid propheta dicens: *In petra exaltasti me;*¹⁵ quia in Christo homine exaltata est humana natura super angelicam naturam. Item Christus comparatur lapidi quia lapis faciliter frangi non potest, sic Christus nulla aduersitate potuit frangi, unde Iob: *Quis est uir ut Iob qui bibit subsannacionem^d, sicut aquam?*¹⁶ Iob interpretatur dolens¹⁷ et ipse Christus uere fuit dolens pro nobis paciendo mortem. Bene dicit 'sicut aquam', quia aqua quando potatur in frigidat et delectat bibentem. Ipse libenter populi derisionem sustinuit, unde Iob: *Hec sit consolacio mea ut affligens dolori non parcat.*¹⁸ Item cum ceditur non remurmurat lapis, ita Christus flagellatus non remurmuratur, unde Ysaias: *Tanquam ouis ad occisionem ductus est et cetera.*¹⁹ Et Ieremias: *Ex ore Altissimi non egredietur bonum neque malum.*²⁰

[5] Item lapis in fundamento uel pariete collocatur, ita Christus collocatus erat in fundamento spiritualis edificii set unum uenit lapis de optima terra, id est de utero uirginis, quia in utero uirginali carnem assumpsit filius Dei. Set cuiusmodi lapis erat dicit Ysaias: *Ecce sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in saphiris.*²¹ Hii sunt uiui lapides in edificio Domini.²² Gregorius: Saphirus colorem habet aereum,²³ per quem designatur Christus qui semper in faciem patris intendit, unde psalmista: *Prouidebam^e Dominum in conspectu meo semper.*²⁴

[6] Item saphirus potens est antracem interficere, id est felim et illius insultationi resistere, ita Christus uerus saphirus diaboli restitit temptationi. Qui eum temptauit gula, cum dixit: *Dic ut lapides isti panes fiant;* auaricia, cum dixit: *Hec omnia dabo tibi, si*

¹⁵ Ps 60:3

¹⁶ Iob 34:7

¹⁷ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 133)

¹⁸ Iob 6:10

¹⁹ Isa 53:7

²⁰ Thren 3:38

²¹ Isa 54:11

²² Cf. I Pet 2:5

²³ Cf. Gregorius, *Homiliae in Hiezechielem prophetam*, 1.8 (CCSL 142)

²⁴ Ps 15:8

cadens adoraueris me; uana gloria, id est superbia, temptauit cum dixit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.*²⁵ Ita fuit iste lapis probatus. Non solum uirtutem lapidis probauit diabolus, immo homines probauit, scilicet sapientes huius mundi dicentes: ‘Si uirgo peperit^f, cum uiro concubuit; et si Deus est homo, tu es asinus’. De istis dicitur: *Absorti sunt iuncti petre iudices eorum.*²⁶ Vnde Iob: *Ecce Deus magnus uincens sapientiam nostram,*²⁷ et ab diabolo: *Perdam^g sapientiam sapientium^h et prudentiam prudentiumⁱ reprobabo.*²⁸

[7] Item saphirus dissoluit uincula et uinctos de carcere educit; ita Christus dissoluit uincula uinctorum in limbo infèrni, unde Zacharias: *In sanguine testamenti tui eduxisti uinctos de lacu in quo non erat aqua.*²⁹ Item alios uinctos dissoluit qui denotantur in euuangelio: *Ite in castellum quod contra uos est et inuenietis asinam alligatam et pullum et cetera.*³⁰ Per asinam iudaicus populus, per pullum gentilis populus; hos soluit a uinculis peccati et coniunxit uinculis caritatis. Et sic erexit duos parietes in domo spirituali et dictus est lapis angularis. De uinculo inferni eduxit iustos, unde Iob: *Omnes strauerunt lectum suum in tenebris.*³¹

[8] Item lapis iste est preciosus, unde apostolus: *si ipse est omnia in omnibus,*³² *quomodo cum ipso non omnia nobis donauit?*³³ Bene <dicitur> preciosus est quoniam precio istius lapidis totus mundus redemptus est. Cum isto lapide pauper diues factus est. Ex isto lapide iii liquores profluxerunt: aqua, mel et oleum. De latere Christi semel

²⁵ Matt 4:3-9; Luc 4:1-13

²⁶ Ps 140:6

²⁷ Iob 36:26

²⁸ I Cor 1:19

²⁹ Zach 9:11

³⁰ Matt 21:2

³¹ Cf. Iob 17:13

³² Cf. I Cor 15:28

³³ Rom 8:32

profluxerunt sanguis et aqua, set aqua preciosior exiuit, scilicet gracia. Hec est aqua saliens in uitam eternam, saluefaciens in uitam eternam.

[9] De hac petra dictum est Moysi: *Percucies petram et exhibit aqua in Oreb et ex ea bibet populus.*³⁴ Hec aqua significat aquam baptismi, scilicet gracia. Item mel exiuit; per mel intelligitur doctrina. Mel eliquatum est, ita doctrina pura est, non ita est doctrina ueteris testamenti quia *tenebrosam in nubibus aeris.*³⁵ Item dulcis erat doctrina, unde psalmista: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.*³⁶ De hoc melle loquitur Salomon in Prouerbiis: *Mel inuenisti^j comede quod satis est,*³⁷ unde *Non plus sapere quam oporteat sapere.*³⁸ // fol. 126ra // Introducciones ad hanc doctrinam sunt bona opera, unde Daud: *Bonitatem et disciplinam et scienciam;*³⁹ primo docet bonitatem excercere et postea disciplinam. Item oleum fluxit. Oleum grece misericordia latine, quod fluxit ut diluuium, non ut riuus exiguus, quia *Misericordia Domini plena est terra;*⁴⁰ et apostolus: *Non ex operibus iusticie que fecimus nos set secundum suam misericordiam saluos nos fecit.*⁴¹ De istis dicitur in cantico Deuteronomii: *Vt suggeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.*⁴²

^a quid] oquid *ms*

^b intulistis] intulisti *ms*

^c infixione] infixera *ms*

^d subsannacionem] subsancionem *ms*

^e prouidebam] *corr. ex* prouidebe

^f peperit] pereperit *ms*

^g perdam] perdat *ms*

^h sapientium] sapientum *ms*

ⁱ prudentium] prudentum *ms*

^j inuenisti] *corr. ex* inuenistis

³⁴ Cf. Ex 17:6

³⁵ Cf. Ps 17:12

³⁶ Ps 118:103

³⁷ Cf. Prou 25:16

³⁸ Rom 12:3

³⁹ Ps 118:66

⁴⁰ Ps 32:5

⁴¹ Tit 3:5

⁴² Deut 32:13

T73 Tempus belli et tempus pacis

fol. 126ra-vb

In prima Dominica aduentus: *Tempus belli et tempus pacis.*¹

[1] Qui lapidem preciosum inuenit, stultus est nisi bene custodiat illum; lapis preciosus est uerbum Dei. Hec est enim illa preciosa margarita qua comparatur regnum celorum, ut legitur in euuangelio.² Et attende quod uerbum Dei bene comparatur lapidi; sicut lapis durus est, sic uerbum Dei, unde illud in euuangelio: *Durus est hic sermo.*³ Sermo enim Domini multis uidetur durus ad audiendum, ad intelligendum et durissimus opere ad implendum. Quod autem lapis iste, id est uerbum Dei, magnam habeat potestatem ostendit Salomon in Ecclesiaste dicens: *Sermo eius potestate plenus est.*⁴ Nonne enim uerbum Dei potens est de non sancto facere sanctum, ut patet in baptismo, et substanciam transmutare in substanciam, ut patet in sacramento altaris. Nonne eciam in hoc attendi potest uerbi Domini potestas, quod solo uerbo creauit omnia: *Dixit eciam et facta sunt et cetera.*⁵

[2] Item lapidi comparari potest uerbum Dei propter tres naturas quas contingit [quas contingit] reperire in lapidibus preciosis qui multas et uarias habent naturas, set tantum de tribus dicemus ad presens. Quidam^a enim lapis contra morbum oculorum ualet ut contra maculam et huiusmodi. Ille autem habet morbum in oculis qui uisum mentis habet quasi puluere repletum, id est amore terrenorum qui bene pulueri comparantur. Ad modum enim pulueris cito transeunt et auolant diuicie temporales. De huiusmodi puluere intelligi potest quod ait Gregorius: 'Non bene uidet oculus qui puluere

¹ Eccle 3:8

² Cf. Matt 13:45-46.

³ Ioh 6:61

⁴ Eccle 8:4

⁵ Ps 32:9

grauatur'.⁶ Dicitur eciam in quadam glosa super *Feci iudicium* quod, 'Oculus quandoque est fons iusticie quandoque fons peccati.'⁷ Si enim uidens mulieris pulcritudinem, laudasti^b opus artificis, oculus tuus fons fuit iusticie. Si aspiciens possessiones pupillorum inuasores repulisti, sic quoque oculus tuus fuit fons iusticie. Si uero aspiciens agrum pupilli uineis consitum, segetibus^c letum, auaricie fascibus accensus, transtulisti patrum limites atque in possessionem^d in ergo defensatam inprobis irruistis^e, oculus tuus fons et origo peccati et mortis perpetue fuit'.⁸

[3] Contra huiusmodi morbum oculi apponere debemus lapidem preciosum, id est uerbum Dei, quia dicit psalmista: *Preceptum Domini lucidum illuminans oculos.*⁹ Adeo enim lucidum est quod non solum illuminat oculos corporis set eciam cordis. Item quidam lapis tumorem^f sedat et eciam antracem necat. Vt contingit de uirtuoso saphire, sic uerbum Dei tumorem^g superbie sedabit. Quod attendens philosophus in libro Sapiencie ait: *Non herba non malagma^h set sermo tuus, Domine, sanauit nos qui sanauit omnia.*¹⁰ Nonne uirtus istius dicti *Qui se exaltat humiliabitur* et cetera¹¹ bene consideranti erit quasi lapis preciosus ad curandum inflationem superbie. Virtus eciam huius lapidis per Paulum patet qui, cum tantum intumissetⁱ contra ecclesiam Dei quod seuiendo morte eterna fere extinctus fuisset. Venit magnus medicus et, quasi dando lapidem preciosum ad curacionem tumoris^j, ait: *Saule, Saule, cur me persequeris?* Et ille statim huius lapidis senciens efficaciam respondit *Quis es Domine?* et cetera,¹² quasi diceret 'Paratus sum de cetero tibi obedire'.

⁶ Cf. Gregorius, *Moralia in Job*, 7.36 (CCSL 143, 377)

⁷ Cf. *Glossa ord.*, II, 617

⁸ Cf. Ambrosius, *Expositio in Psalmos*, 118.16 (CSEL 62)

⁹ Ps 18:9

¹⁰ Sap 16:12

¹¹ Matt 23:12; Luc 14:11

¹² Act 9:4-5

[4] Item sicut quidam lapis dicitur fluxum sanguinis restringere, sic uerbum Domini uicium luxurie potens est restringere. Psalmista: *Eloquia Domini eloquia casta*;¹³ non incesta non corta, sicut eloquia aliorum. Et quod uicium luxurie per fluxum sanguinis significetur, habetur ex lege. Semen fluidum^k et fluxum sanguinis patientes idem significabant in lege, scilicet uicium luxurie. Manifestum est igitur quod ualde necessarius est lapis iste legem Dei discentibus quod qui luxuriosus est non intelligit recte solum uerbum theologie et certe duriores sunt lapide qui uirtute huius lapidis non possunt fluxum libidinis restringere.

[5] Quod autem uerba Dei dicantur lapides per interfectionem Golie patet. Legitur enim quod Daud, pugnaturus contra gigantem quondam nomine Goliam, tulit secum v lapides quorum tres iaculauit in eum cum funda. Quem tercio lapide in fronte percussus deiecit in terram et proprio gladio amputauit capud eius.¹⁴ Isti tres lapides significant tria uerba ueteris testamenti, scilicet hec: non in solo pane uiuit homo; Deum tuum adorabis et illi soli seruias; non temptabis Dominum Deum tuum.¹⁵ Dicit // fol. 126rb // enim quedam glosa super Matheum: Daud tribus lapidibus prostrauit Goliam, prostrauit et Christus uerus Daud Goliam, id est diabolum tribus auctoritatibus ueteris testamenti, scilicet predictis, *Non in solo pane* et cetera. In fronte percussus est Goliath potius quam in alio membro ad significandum quod uerba Dei in puplico et quasi in fronte homini proferri debent. Per uiciorum reprehensionem ut sic eis pudorem incuciat et erubescenciam pro peccatis. Frons enim sedes erubescencie dicitur quia primo apparet in fronte si quis pudorem habeat. Minime enim attendunt quidam murmurantes si uicia eorum reprehenduntur quod quasi pro nichilo audiunt predicacionem. Qui in ea

¹³ Ps 11:7

¹⁴ Cf. I Reg 17:40-51

¹⁵ Cf. Matt 4; Luc 4.

nichil audiunt quod tangat eorum conscienciam, ita tamen debent intra reprehendi ut notentur^l eorum persone ne predicator potius uideatur detrahere quam predicare.

[6] Item sicut pro fatuo haberetur qui pro lapide precioso eligeret uitrum, ut contingit de illis qui a falsariis emunt anulos et cetera monilia in quibus locati sunt lapides uitrei pro lapidibus preciosis, sic eciam stulti sunt et insensati qui pro aliqua cura corporis contemnunt audire uerbum Dei. Caro enim hominis uitro comparatur pro fragilitate. Vnde apud Romam inuentus fuit ciphus quidam uitreus in cuius fundo scripti erant isti uersus: In fragili uase fragilis reminiscere uite, qui bibis, et frenum sobrietatis habe.¹⁶ Maxime autem hoc uitro uocari possunt beneficiati qui ad predicacionem raro accedunt, non considerantes quod Deus propterea eis contulit beneficia ecclesiastica, ut ei^m deseruissent non autem diabolo. Nonne enim facinusⁿ si rex Anglie ad hoc daret castella sua aliquibus ut regi Francorum famularentur?

[7] [P] Tempus belli et cetera. Verba sunt Salomonis quasi diceret omnia tempus habent. Dicitur solet quod in tornamentis omnes doli et insidie solent proloqui et omnes regni dissensiones. Sic re uera in tornamento diaboli quod fecit in paradiso, quando Euam primam matrem nostram per gulam, cupiditatem et inanem gloriam tanquam tribus insultibus inuasit. Prolocuti erant omnes dolores tribulacionis et angustie huius uite, unde ab illo tempore nunquam erat pax in terra ab huiusmodi, nec erit usque in finem mundi. De isto tornamento erit presens sermo quod uero nomine dicitur tornamentum. In illo enim se primi parentes declinabant a Deo. Sic uero diabolus ex quo per superbiam recessit a Deo, omnes nitebatur^o a Deo auertere ne solus esset. Vt contingit de proditore aliquo qui cum Dominum prodiderit et ab eo recesserit omnes qui prius erant socii sui nititur a Domino suo subtrahere.

¹⁶ non inu

[8] Notandum autem quod bellum illud difficile est ualde; istud enim hominem undique aggreditur. Desursum enim mittit Deus pro loco et pro tempore tribulationes uarias ut labores, paupertates, infirmitates et huiusmodi ut probet hominem et castiget. Flagellat enim Deus pater omnem filium quem recipit. Item subtus, id est ex parte corporis, cum sit quasi subtus respectu anime, subruunt cogitationes inopertune ut rationem trahant ad illicita. Iuxta autem patimur insidias molestas^P quas moliuntur nobis sepe falsi fratres, ut patet in falsis mercatoribus qui habent pondus et pondus, maius scilicet quo emunt et minus quo uendunt, cum dicat scriptura: *Pondus et pondus statera et statera utrumque abhominabile est Deo.*¹⁷ Nec attendunt quod dicit Dominus: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,*¹⁸ ad id saltem ad quod te ipsum.

[9] Intus enim gerit homo quasi bellum intestinum: corpus enim contra animam, id est sensualitas contra rationem, insurgit per primorum motuum multiplicationem. Vnde non aliquis in terra est qui isto bello non insultetur cotidie. Nonne in domo illa magna est pacis perturbatio et bellum abhominabile ubi domina et ancilla totaque domus familia contra dominum insurgit domus? Istud cotidie moraliter impletur in nobis. Domus enim ista est consciencia nostra, de qua Ecclesiasticus: *Intra in domum tuam et illuc lude.*¹⁹ Domina et ancilla huius domus caro siue sensualitas, familia uero multitudo primorum motuum est. Hic est populus ille de quo dicit psalmista: *Obluiscere populum tuum et domum patris tui.*²⁰ Dominus huius domus spiritus est siue ratio, contra quem insurgit cotidie iam dicta familia ut eum trahat ad peccata. Set ut docet apostolus eicere debemus ancillam, id est carnalem concupiscentiam, cum filio suo, id est cum prauo opere.²¹ Hii sunt filii pessimi, hic est Ysmael filius^q Agar.

¹⁷ Prou 20:10

¹⁸ Matt 22:39; Marc 12:31; Luc 10:27

¹⁹ Cf. Eccli 32:15

²⁰ Ps 44:11

²¹ Cf. Gal 4:30

[10] Diabolus enim non cessat multipliciter insurgere contra hominem cum temptando, tum suggerendo. Legitur enim in libro Regum quod cum Naas rex Amonitarum, regnante adhuc Saulo apud ciuitatem, labe obsedisset, pessimum fedus iniit cum hominibus illius ciuitatis, scilicet quod quemcumque posset ex illis capere oculum ab eo dextrum erueret.²² Naas interpretatur serpens;²³ // fol. 126va // hic est ille antiquus serpens, id est diabolus qui sub specie serpentis decepit primum hominem, qui etiam uirus peccati per totum orbem dispersit. Iste Naas bene dicitur rex Amonitarum; Amon enim interpretatur populus meroris,²⁴ unde significat diabolum qui nobis cotidie hanc facit comminacionem et opere adimplet. Per oculum dextrum significatur uita eterna. Hunc igitur oculum eruit diabolus quando suggerit homini ut non referat intencionem suam ad uitam eternam adipiscendam set ad fauorem populi et inanem gloriam consequendam. Vnde qui tali intencione dant elemosinas et alia bona agunt non dextro oculo aspiciunt set quasi strabones sunt inordinate iactantes oculos.

[11] Ex quo igitur instat Christiane tempus milicie, pugnare oportet contra diabolum predicto modo homines infestantem quia, ut ait Iob: *Milicia est uita hominis super terram.*²⁵ Legittime autem oportet pugnare quia bellum asperum est et durum, quod bene attendens Iob dicit: *Memento belli et cetera.*²⁶ Vix enim sciet quid dicat ultra qui bene considerat maliciam et duriciam huius belli. Necesse igitur est ut sint strenui milites qui in hoc bello pugnaturi sunt, milites scilicet Christi non autem diaboli. De quibus dicit Abacuc: *Equites eius de longe uenient quasi aquila festinans ad manducandum.*²⁷ Aquila alta petit et predam conspicit in riuo. Tam enim sunt perspicui uisus eius quod etiam quandoque in mari conspicit predam suam. Per aquilam

²² Cf. I Reg 11

²³ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 108)

²⁴ Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 90)

²⁵ Iob 7:1

²⁶ Iob 40:27

²⁷ Hab 1:8

significantur tyranni et mali principes; alta petens, id est in honoribus seculi constituti in riuo predam conspiciunt, id est bona pauperum^f que rapiunt et deuorant. Qui pauperes in riuo uidentur respectu illorum: quicquid enim uenantur diuites mali sunt bona pauperum sibi subiectorum. Hii ergo qui tales sunt milites diaboli sunt qui bene dicuntur de longe uenire, quia longe a peccatoribus salus.

[12] Item natura aquile est quod diuturnum ieiunium magna cibi quantitate recompensat. Vnde per aquilam significantur gulosi qui in commedendo et bibendo modum excedunt. Isti re uera in bello sunt set non ex parte Dei immo diaboli tanquam eius serui, unde dicit Iohannes: *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.*²⁸ Et alibi dicitur: *A quo quis superatur eius seruus est.*²⁹ Omnes ergo qui suggestionibus diaboli superantur et sibi succumbunt, serui eius sunt. Set si uere penituerint, faciet eos Dominus de uilissimis seruis diaboli nouos milites Christi. Nonne magnum est fieri nouus miles? Oportet autem ut inmundiciam uitare peccatorum et feditatem qui uult in exercitu Christi militare. Miles enim infacetus eciam et inmundus nullius ualoris est.

[13] Item reges et principes signa sua habent in bello que sequi debent omnes de exercitu suo; sic et Christus in exercitu suo, scilicet crucem suam ad quam omnes de exercitu suo debent respicere. Et sicut in bello seculari exigitur ut signifer fidelis sit et constans, sic qui uult signifer esse Christi crucem accipiendo oportet ut sit constans in aduersis, non autem timidus. De isto signo dicitur in Ysaia: *Transite transite per portas, erigite lapides, leuate signa ad populum.*³⁰ Bis dicit 'transite' quia due sunt porte; una que significat uitam eternam, alia que significat penam infernalem. Per lapides indurati in peccatis, per signa crux significatur. Per has igitur portas transire debent doctores et prelati, quandoque mulcendo per premia, quandoque terrendo per supplicia; eciam

²⁸ Ioh 8:34

²⁹ II Pet 2:19

³⁰ Isa 62:10

induratos erigere per penitenciam uirtutis et crucis sancte memoriam et Dominice passionis. Nullus enim potest eternam mortem euadere nisi per crucis Dominice uirtutem et memoriam. Vnde legitur in Ezechiele quod Dominus precepit angelo ut occideret omnes in quorum frontibus non esset scripta hec littera + thau.³¹ Per thau enim significatur crux Christi quia talis figure erat crux Christi ante appositionem tabule in qua^s scriptus^t erat tytulus a Pilato. Per hoc ergo minitur^u quod occidendi sunt morte eterna qui thau non habent scriptum in fronte, id est qui crucem Christi erubescunt et dedignantur.

[14] Item non legitur de aliquo, excepto Christo, qui portaret crucem nisi de Symone Cireneo quem de uilla uenientem angariauerunt Iudei ferre crucem Domini, ut legitur in euuangelio.³² Huic ergo comparari debent qui crucem uolunt ferre. Simon enim interpretatur obediens; nullus uero sine obediencia crucem ferre potest. Christus enim obediens fuit patri usque ad uilissimum genus mortis, scilicet ad mortem crucis.³³ Nusquam uero legitur quod Christus bellum monstrauerit per potestatem set per obedienciam.

[15] Item Cyrineus interpretatur heres. Ecce exprimitur causa quare debemus ferre crucem Domini: quia pro hereditate superna ut illius heredis coheredes simus. De quo dixerunt Iudei: *Hic est heres, uenite et cetera.*³⁴ Item oportet ut ueniamus^v de uilla cum Symone, id est de curis et sollicitatibus // fol. 126vb // seculi que per uillam significantur, unde illud *Villam emi et cetera.*³⁵ Qui uero timidi sunt et sine corde uerentes paupertatem, infirmitatem et temporalium amissionem non bene pugnabunt in bello Domini nec idonei sunt ad signum eius gestandum.

³¹ Cf. Eze 9:4-6

³² Cf. Matt 27:32; Marc 15:21; Luc 23:26

³³ Cf. Phil 2:8

³⁴ Cf. Matt 21:38; Marc 12:7

³⁵ Cf. Luc 14:18

[16] Legitur enim in libro Iudicum quod cum Gedeon magnum exercitum conuocasset ex populo Isrel, iturus in expeditionem contra Madianitas, reuelatum est ei a Domino quod omnes qui plantauerunt sibi uineas et arduas domus construxerunt non apti sunt ad bellum suum. Et ille exercitum suum super hiis scrutatus est et inuenit de talibus xxii milia hominum quos omnes fecit reuertere, et non remanserunt nisi x milia. Item reuelatum est ei ut cum ad aquam quandam cum exercitu suo peruenisset omnes illos qui ad terram prostrati biberent ex aqua cogeret reuertere et illos secum duceret qui cum manu lambendo biberent. Quo facto non inuenti sunt sicut lambentes nisi trescenti homines. Vnde nimis Gedeon desolatus est set nichilominus a Domino confortatus est et cum istis Madianitas inuasit et obtinuit.³⁶

[17] Ecce igitur quod tales^w dediti secularibus omnino ad bellum Dei non sunt idonei quia cito edificauit. Illi enim qui prostrati bibunt de aqua significant illos qui, luto terrene uoluptatis obuoluti, curam carnis super omnia amplectuntur. Diuicie enim temporales aque comparantur propter labilitatem. Illi uero qui manu hauriunt illos qui aquis huius seculi nichil appetunt significant nisi que ad sustentacionem corporis et uite honestatem pertineant; unde huiusmodi idonei sunt ad bellum Christi.

³⁶ Cf. Iud 7

-
- ^a quidam] qui deus *ms*
^b laudasti] laudastis *ms*
^c segetibus] leget ibi *ms*
^d possessionem] *corr. ex* possessiones
^e irruisti] irruistis *ms*
^f tumorem] timorem *ms*
^g tumorem] timorem *ms*
^h malagma] maligna *ms*
ⁱ intumuisset] intimuisset *ms*
^j tumoris] timoris *ms*
^k fluidum] flui *ms*
^l notentur] noientur *ms*
^m ei] eis *ms*
ⁿ facinus] *corr. ex* facimus
^o nitebatur] nitebantur *ms*
^p molestas] molestias *ms*
^q filius] filus *ms*
^r sibi subiectorum *expung. in ms*
^s Christus *expung. in ms*
^t scriptus] *add. in marg.*
^u minitur] minuitur *ms*
^v ueniamus] ueniat *ms*
^w tales] taris *ms*

T74 Sponsabo te in sempiternum

fols 126vb-127rb

*Sponsabo te in sempiternum. Sponsabo te in iusticia et in iudicio. Et sponsabo in misericordia et miserationibus. Et sponsabo te in fide.*¹

[1] Salomon in Prouerbiis: *Audiens sapiens sapientior erit.*² Regina Sabba uenit a finibus terre audire sapienciam Salomonis.³ Sapiens regina uenit audire sapienciam. Insipienti esset illud magis neccesse. Salomon non exprimit quid audiens sapiencior erit. Constat quod non erit sapiencior audiens detractiones uel adulationes uel mendacia uel uanitates huiusmodi. Restat ergo quod de sapiencia intelligebat Salomon. Trutannus scensendus est qui pecuniam patris sui recipit ut expendat eam in bono usu et ut adiscat et expendit eam et non addiscit nec proficit. Eo modo scencendus est trutannus qui uerbum Dei audit nec proficit. Quod uerbum Dei dicitur pecunia; dicit Dominus in Luca: *Quare non dedisti pecuniam meam ad usuram?*⁴ Ad usuram datur pecunia quando preter sortem aliquid inde recipitur. Set sunt quidam quos tedet audire uerbum Dei, et alia^a friuola libenter audiunt. Nec hoc est mirum quia qui furfure uentrem impleuit non potest postea mundo grano uesci et triticeo pane. Sunt alii qui audiunt et non retinent qui similes sunt uasi perforato quod uinum infusum non retinet. De quo Ecclesiasticus: *Cor fatui quasi uas confractum et omnem sapienciam non tenebit.*⁵ Hoc summum spiritualis intelligencie quod maxime letificat cor hominis.

¹ Os 2:19-20

² Prou 1:5

³ Cf. Matt 12:42; Luc 11:31; III Reg 10:4

⁴ Cf. Luc 19:23

⁵ Eccli 21:17

[2] [P] *Sponsabo te in sempiternum* et cetera. Christus nuptias commendat; aliter uero non interesset nuptiis in Chana Galilee factis. Vult etiam Christus quod nuptialis copula non dirimatur set durat quam diu uir et mulier uiuunt, quod notatur per hoc quod dicit 'in sempiternum'. Propheta agit hic de matrimonio spirituali, scilicet de matrimonio contracto inter Christum, qui est uerus sponsus, unde psalmista: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo*,⁶ et fidelem animam. Et eadem que esse exiguntur ad matrimonium carnalem, eadem exiguntur ad matrimonium spirituale. Ad hoc ergo quod celebratur matrimonium exigitur consensus, anulus, dos.

[3] Videndum ergo est de matrimonio spirituali quando factum est et qualiter et ubi, etiam que exiguntur ad uerum matrimonium. Fit enim matrimonium in baptismo. Per uirtutem enim baptismi templum quod fuit diaboli fit templum Christi, ut testatur apostolus.⁷ In hoc matrimonio, sicut et in carnali, requiritur consensus qui causa efficiens est matrimonii. Consentit uero homo quando in baptismo requiritur a sacerdote: 'Credis in Deum?' et cetera. Respondetur: 'Credo'. Iam enim matrimonium inceptum.

[4] Fides autem quam sibi suscipit est anulus. Sicut enim in carnali matrimonio dicit sponsus sponse: 'Hoc anulo te sponso', sic per ueram fidem coniungitur // fol. 127ra // et sponsatur anima fidelis Christo. Hic est anulus de quo beata Agnes loquitur dicens, 'Anulo suo subarrauit me Dominus'. Hee in anulo sunt proprietates: per anulum fit desponsacio, signacio; argenteus est et rotundus, ornamentumque manus. Desponsacio facta per anulum iam dicitur quia anima per fidem Christo iungitur. De signacione facta per anulum legitur in Daniele quod rex Nabugodnosor signauit hostium leonum Daniele intromisso,⁸ et in Ester similiter legitur quod Asuerus rex signauit literas anulo suo.⁹ Et

⁶ Ps 18:6

⁷ Cf. Augustinus, *De fide et operibus*, 12.8 (CSEL 41, 58)

⁸ Dan 6:17

sic fit adhuc similiter anulus spiritualis, id est fides inprimitur in superiori parte anime, unde psalmista: *Signatum est super nos lumen uultus tui Domine.*¹⁰ Ex quo ergo fides inprimitur fideli anime. Ratum est matrimonium ad similitudinem impressionis eius que fit in cera. Anima que fit inpressio fidei cere calide comparatur cui fit inpressio imaginis cuiuscumque quod est inter ea similitudo. Vnde psalmista: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens et cetera;*¹¹ et in Canticis: *Anima mea liquefacta est,*¹² quod anime uel cordi^b inprimitur ymago. Habemus in Genesi: *Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem et cetera.*¹³

[5] Item anulus in matrimonio carnali est argenteus. Argentum est metallum sonorum et significat consensum quod est inter marem et feminam; et quia sonorum significat idem, consensus habet fieri per uerba expressa, uel per signa exteriora^c si loqui non possunt. Similiter eciam in matrimonio spirituali consensus exprimi requiritur quod, ubi dicitur 'Credis in Deum?', respondetur 'Credo'.

[6] Item anulus rotundus est et caret principio et fine. Et in matrimonio spirituali significatur quod fides habenda est de eo qui caret principio et fine. Item anulus est decor et ornamentum manus. In hoc quod anulus est in manu significatur in matrimonio spirituali quod fides decet esse in operibus et cum operatione que significatur per manum, quod dicit Iacobus: *Fides sine operibus mortua est.*¹⁴ Item sicut anulus est ornamentum manus, sic in matrimonio spirituali fides est ornamentum aliarum uirtutum et operum, unde apostolus: *Inpossibile sine fide placere Deo.*¹⁵

⁹ Est 8:8-10

¹⁰ Ps 4:7

¹¹ Ps 21:15

¹² Cant 5:6

¹³ Gen 1:26

¹⁴ Iac 2:26

¹⁵ Hebr 11:6

[7] Item in matrimonio spirituali requiritur dos; et dotem Christi spiritualem quam dat sponse spirituali, id est anime fideli, ostendit psalmista dicens: *Graciam et gloriam dabit Dominus.*¹⁶ Sponsa que a tali sponso recedit non est digna tali et tanta dote.

[8] Qualiter autem habeat fieri matrimonium ostendit propheta dicens: *Sponsabo te in iusticia et iudicio.* Sic decet sponsus carnalis ducere sponsam, scilicet in iudicio et iusticia, sicut duxit Tobias iunior uxorem suam et ideo uixit, uxoris^d eiusdem uiris vii a diabolo prius interfectis^e quia non duxerunt eam in iusticia et iudicio. Postquam enim eam duxerat, *Dixit ei, Surgite et deprecemur hodie et cras secundum cras.*¹⁷ Et quia sic fecerunt nec carnis illecebris intenderunt, non habuit diabolus potestatem in eis. Tobias interpretatur bonus Domini, et Christus antonomasice seruus bonus Domini. Sarra interpretatur princeps mea, et bene quia Sarra fuit domina Agar. Septem uiri Sarre quos prius habuit sunt vii dona spiritus sancti que mortalita fuerunt per mortale peccatum uel per diabolum. Si ergo uelit et debeat Sarra spiritualis, id est anima, coniungi Tobie spirituali, id est Christo, adhereat consilio Tobie carnalis et deprecetur Deum hodie et cras et secundum cras, id est in fide trinitatis et sic in fide tali tuti erunt a strangulatione diaboli.

[9] *Sponsabo te in iudicio.* Hoc est iudicium de quo apostolus: *Si nosmetipsos iudicaremus non utique iudicaremur.*¹⁸ Iudicare decet fidelis anima in confessionem opera sua. Consilium ergo meum est ut iudicemus et suspendamus latrones et predones nostros, id est peccata nostra mortalia que bona anime furantur et depredantur, et non solum predictos predones; set etiam eorum receptores puniantur qui sunt v sensus hominis. De quibus Ieremias: *Mors intrat per fenestras*¹⁹ et alibi: *Oculus meus*

¹⁶ Ps 83:12

¹⁷ Tob 8:4

¹⁸ I Cor 11:31

¹⁹ Cf. Ier 9:21

*depredatus est animam meam et cetera.*²⁰ Et Matheus: *Qui uiderit mulierem ad concupiscendum et cetera.*²¹ Ore eiam recipitur diabolus quando per os mentitur detrahitur, adhulatur, falsum testimonium perhibetur. Et de aliis sensibus. Si hoc ducas in confessionem, in iudicium sponsa erit anima tua Christo.

[10] *Sponsabo te in misericordia* quod ad te ipsum pertinet, unde Ecclesiasticus: *Miserere anime tue, placens Deo.*²² Est enim iustus ordo caritatis ut prius tibi postea aliis bonum facias *et in miserationibus* hoc quoad proximum, scilicet in operibus misericordie. Vt debeat hoc matrimonium celebrari docet euuangelium Iohannis, scilicet in Chana Galilee. Chana est parua in Galilea, unum solum habens uicum. De hac fuit Iudas Chananeus. Chana // fol. 127rb // idem est quod amor uel zelus, Galilea transmigratio et bene in Chana Galilee facte sunt nuptie ad literam quantum ad carnales nuptias quia uir decet totus transmigrare in uoluntatem mulieris et econtra. Et spiritualiter debent fieri nuptie in Chana, id est in amore, scilicet Dei et proximi, et eiam in Galilea quia transeundum est a uiciis ad uirtutes, transeundum lutosa libidinis, spinosa cupiditatis, lactancia elationis. Set Deus in nuptiis aquam conuertit in uinum quod fuit magis necessarium in nuptiis quam alibi, quia per aquam carnalis uoluptas intelligitur, unde dicitur: *Ne des aque tue exitum et cetera.*²³ Vinum in quod aquam conuersa est, est compunctio quam quisque decet habere pro uoluptate carnis que precessit, unde psalmista: *Potuisti uos uino compunctionis.*²⁴

^a frif expung. in ms

^b cordi] codi ms

^c exteriora] corr. ex exterioras

^d uxoris] uxorem ms

^e interfectis] interfectus ms

²⁰ Thren 3:51

²¹ Matt 5:28

²² Eccli 30:24

²³ Eccli 25:34

²⁴ Ps 59:5

T75 Sancti per fidem uicerunt regna

fol. 127rb-vb

Sermo de omnibus sanctis: Sancti per fidem uicerunt regna.¹

[1] Hoc nomen sancti sonat firmitatem que bene conuenit sanctis omnibus quorum hodie est festum. Ipsi utique firmi et stabiles fuerunt. De quibus dicit apostolus ad Romanos: *Neque mors neque uita separabit nos a caritate Christi*;² quasi diceret, neque aduersitas neque prosperitas remouebit nos a memoria delectationis Christi, quam nobis precipue in cruce ostendit. Notandum quod sicut dicit beatus Gregorius: 'Viri sancti magis formidant prospera quam aduersa'.³ Aduersa enim seuiendo erudiunt^a; prospera enim blandiendo seducunt. Non est ergo mirum quare ipsi prospera formidant; plus enim timetur canis occulte insidians quam aperte latrans. Iacula enim preuisa minus ledunt, ut dicit Gregorius.⁴ Aduersa nequaquam formidant, immo in ipsis sibi mirabiliter placebant, unde apostolus ad Chorinthios: *Repletus sum consolacione et superhabundo gaudio in omni tribulacione mea*.⁵ Quare autem ipse gaudebat ostendit apostolus dicens: *Cum infirmor tunc forcior sum et potens*,⁶ et dicit glosa: id est uictor efficior.⁷

[2] Redeamus ad exposicionem auctoritatis secundum^b quod congruit edificacioni nostre. Relinquentes commendationem sanctorum legentibus in uitis eorum. Sancti et cetera. Hoc nomen sancti ut dictum est firmitatem sonat mortale que neccessaria est

¹ Heb 11:32-33

² Rom 8:38-39

³ Gregorius, *Moralia in Iob* 5.1 (CCSL 143, 219)

⁴ Cf. Gregorius, *Homiliae in euangelia*, 35.1 (PL 76, 1259)

⁵ II Cor 7:4

⁶ Cf. II Cor 12:10

⁷ Cf. *Glossa ord.*, IV, 353

pugnantibus contra regna, hoc est contra hostes suos, scilicet mundum, carnem, diabolum. Ille autem firmus esse dicitur qui totum cor suum ad unum colligit et ad unum petendum. De quo dicit psalmista: *Vnam petii a Domino et cetera.*⁸ Iste qui talis est non ex facili uincitur. Notandum quod quatuor circa uictoriam spiritualem notantur, scilicet qui sunt qui uincunt et per quid uincant et modus uincendi et premium uictorie.

[3] Qui sunt qui uincant notatur hoc cum dicit 'sancti'; oportet ut sanctus sit, id est firmus, qui uult uincere et non uinci. Sancti enim non uincuntur quia fenestras castris sibi commissi claudunt, scilicet corporis ne mors intret per fenestras. Alia ratio est quare non uincuntur sancti: quia *Conuersatio eorum in celis est*, ut dicit apostolus.⁹ Ipsi autem dicunt cum Iob: *Suspendium elegit anima,*¹⁰ scilicet a terrenis. Super quod dicit Gregorius: 'In altum mentem fixerat et ideo ad eum hostis irrumpere non ualebat'.¹¹ Patet igitur ratio quare sancti non uincuntur, scilicet quia fenestras claudunt, id est sensus cum in celis conuersantur.

[4] Illi utique qui non claudunt de facili uincuntur, unde Ieremias: *Mors intrat per fenestras nostras.*¹² Ingressa est domos nostras quod ualde patet in ista terra, mors sepe intrat per fenestras et maxime aurium suarum. Tunc utique ingreditur mors per aures quando uerba detractionis libenter ascultant, cum tamen prohibeat Dominus loquens per Salomonem in Prouerbiis, dicit enim: *Cum detractoribus ne commiscearis.*¹³ Quare autem ipse prohibeat societatem habere cum detractoribus patet, quia detractores sunt deteriores latronibus. Latro enim quod furatur restituere potest; detractor autem nequaquam famam

⁸ Ps 26:4

⁹ Phil 3:20

¹⁰ Iob 7:15

¹¹ Cf. Gregorius, *Moralia in Iob*, 3.8 (CCSL 143, 121)

¹² Jer 9:21

¹³ Prou 24:21

homini restituere potest quam homini abstulit detrahendo ei. Fama siue bonum nomen omnibus diuiciis melior est, unde Salomon in Prouerbiis: *Melior est nomen bonum quam diuicie multe.*¹⁴ Et Ecclesiasticus: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille magni thesauri et preciosi.*¹⁵ // fol. 127va // Ille igitur qui istud homini aufert deteriore est latrone, qui minus ei aufert, scilicet diuicias. Patet igitur quare Dominus prohibeat^c societatem habere cum tractoribus.

[5] Qualiter autem detractores sunt confutandi et confundendi, docet Deus in Prouerbiis dicens: *Ventus aquilo dissipat pluuias et facies tristis linguam detrahentem;*¹⁶ dicens per Ecclesiasticum: *Sepi aurem tuam spinis et noli audire linguam nequam.*¹⁷ Tunc aures spinis sepiuntur cum memoria penarum eternarum concurrat et sic aures contra uerba detractionis clauduntur. Patet igitur ratio quare fenestre nostre sint claudende ne scilicet mors intret per eas. Et uincantur que intus inueniuntur, scilicet anime. Sancti, id est firmi, claudunt et propterea uincunt.

[6] Ostenso quales oporteat eos esse qui uincere debent; restat dicere per quid uincere ualeant. Quod ostendit apostolus dicens 'per fidem', unde loquens in eadem epistolam ad Hebreos de Moyse dicit: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium Pharaonis,*¹⁸ magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuicias estimans thesauro Egiptiorum inproperia Christi, aspiciebat enim in remuneracionem. Ecce qualiter Moyses per fidem uicit regnum carnis, quod regnum carnis figuratur in filia Pharaonis. Pharo autem interpretatur dissipator¹⁹ et significat diabolum,

¹⁴ Prou 22:1

¹⁵ Eccli 41:15

¹⁶ Prou 25:23

¹⁷ Eccli 28:28

¹⁸ Heb 11:24

¹⁹ Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 146)

cuius filia est regnum carnis siue uoluptatis. De qua uoluptate dicit beatus Gregorius: O uoluptas carnis pestifera, O amica fetulenta, id est turpis amica mortis et inferni, inimica anime et celi, mater et nutrix uiciorum, interfectorix uirtutum filium istius,²⁰ scilicet uoluptatis se negauit esse Moyses. Et hoc per fidem quando noluit ei obedire. Patet igitur qualiter regnum carnis fide uincitur.

[7] Quod eciam regnum mundi fide uincatur, testatur apostolus loquens de eodem Moyse in eadem epistola. Dicit enim: *Fide Moyses reliquit Egiptum.*²¹ Egiptus interpretatur tenebre²² et significat mundum in quo non sunt nisi tenebre ignorantie. Quod patet in hoc quod ligna putrida modo lucent, hec est temporalia, non tamen omnibus nisi existentibus in tenebris et pueris, scilicet sensu pueri, itaque sunt quibus ista lucent siue placent. Ista itaque Moyses fide reliquit, ut dictum est et ita regnum mundi reliquit et uicit. Ille utique regnum mundi uincit qui illud contempnit.

[8] Quod eciam regnum diaboli fide uincatur testatur apostolus loquens in eadem epistola, dicit enim: *Fide Moyses celebrauit sanguinis effusionem ne qui uastabat primitiua Egiptiorum tangeret eos;*²³ glosa dicit teritus sanguine Ihesu Christi.²⁴ Moyses autem, ut legitur in Exodo, per preceptum Domini sanguine agni utrumque postem domus liniuit et sic angelum exterminatorem a filiis Isrel fugauit. Quod exponens Gregorius ait, 'Super utrumque postem sanguis agni spargitur quando ore et corde Christi passio hauritur'.²⁵ Nam qui sic sanguinem Christi accipit ut eum in passione imitari non uelit, per unum postem

²⁰ non inu

²¹ Heb 11:27

²² Cf. Hieronymus, *Lib. int. heb. nom.* (CCSL 72, 143)

²³ Heb 11:28

²⁴ Cf. *Glossa ord.*, IV, 444

²⁵ Gregorius, *Homilia in euangelia*, 22.7 (PL 76, 1178)

tantum spargit. Heu quam pauci sunt qui hodie sanguinem Christi agni hauriunt corde et ideo non est mirum si angelus eos exterminet, sicut fecit Egyptios.

[9] Vtique si sanguinem Christi corde haurirent animabus exterminatis corde condolerent, quod non faciunt prelati nostri temporis. Immo magis condolent asinis sub honore suffocatis. Quod lamentabiliter profert beatus Bernardus dicens: 'De precio escarum et numero panum cotidiana discussio est apud sacerdotes; raro admodum cum presbiteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, et est qui subleuet eam; perit anima, et non est qui reputet.'²⁶ Heu quam intollerabilius rerum, quam mencium sustinemus iacturam, id est animarum. Per hoc igitur manifestum est quod non habent utrumque postem linitum sanguine agni; os utique linitum habent, loquitur^d enim de passione Domini, corde nequaquam compaciuntur. Et propter hoc non uincunt regnum diaboli cum Moyse; immo uincuntur cum Pharaone qui submersus est in mari rubro.

[10] Dicto per quid uincantur regna, restat ostendere modum uincendi, quam nos docet Daud qui Goliath in fronte lapide percussit. Goliath interpretatur reuelans et significat diabolum qui reuelabit in die iudicii pudenda inimicorum Christi. Vnde Naam propheta in persona diaboli dicit: *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam et ostendam gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam.*²⁷ Iste qui talis est, est in fronte lapide percuciendus quod fit quando in lapide hoc est in memoria uulnerum Christi suggestionibus diaboli fortiter resistimus. // fol. 127vb // Vnde Dominus respiciens pugnam inter nos et diabolum admonet ut in uulneribus ipsius abscondamur. Dicit enim: *Ingrederi in petram et abscondere in fossa humo.*²⁸ Et in Canticis: *Veni columba mea et cetera.*²⁹ Maxime illam columbam

²⁶ Bernardus, *De consideratione*, 4.20 (*Opera*, III, 464)

²⁷ Nah 3:5

²⁸ Isa 2:10

²⁹ Cant 2:13-14

diligerem cui nidum in latere meo facerem. Dominus quidem nobis fugientibus a diabolo nidum in latere suo fecit, unde psalmista: *Dominus refugium factus est pauperi.*³⁰

[11] Modus autem uincendi diabolum patet in hoc facto Dauid; modus autem uincendi mundum nos docuit psalmista dicens: *Diuitie si affluant nolite cor apponere.*³¹ Qui mundum uult uincere decet cauere ne arma ipsius recipiat, scilicet diuicias. Diuicie utique sunt arma quibus nos mundus uincit, unde apostolus ad Thimotheum secunda: Qui uolunt diuites fieri, incidunt in temptationes et in laqueum diaboli.³²

[12] Modum autem uincendi regnum mundi nos docuit psalmista dicens: *Nolite fieri sicut equus et mulus,*³³ scilicet indiscrete comedendo uel bibendo, quia ut ait Gregorius: 'Dum nimia sacietate^e uenter extenditur, aculeus libidinis excitatur'.³⁴ Modus autem iste obseruandus est qui predicta regna uult uincere. Premium autem uictorie ostendit Dominus in Apocalipsi dicens: *Qui uicerit faciam eum sedere mecum in trono meo sicut et ego uici et sedi cum patre meo in trono eius.*³⁵ De isto premio dicit apostolus ad Chorinthios: *Oculus non uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit que preparauit Deus diligentibus se.*³⁶

[13] Sequitur operati sunt iusticiam. Ille operatur iusticiam qui unicuique reddit quod suum est Deo quod suum est, anime quod suum est, mundo quod suum est. Deo autem sex reddenda sunt sine quibus non est salus: Fides, spes, caritas, timor, pudor et^f honor. Fides est reddenda quia uerax est, unde in Iohanne: *Ego sum ueritas et uita.*³⁷ Spes est reddenda

³⁰ Ps 9:10

³¹ Ps 61:11

³² Cf. II Tim 2:26

³³ Ps 31:9

³⁴ Cf. Gregorius, *Regula pastoralis*, 3.19 (SChr 382, 372-74)

³⁵ Apoc 3:21

³⁶ I Cor 2:9

³⁷ Ioh 14:6

quia misericors est, immo ut uerius dicam, misericordia, unde psalmista: *Misit Deus misericordiam suam et ueritatem.*³⁸ Caritas est reddenda quia est summum bonum, unde *Confitemini Dominus quoniam bonus.*³⁹ Timor est reddendus quia iudex. Iudices enim solent timeri; quod ipse sit iudex testatur in Iohanne: *Omne iudicium dedit filio.*⁴⁰ Pudor est reddendus ei quia ubique presens est, unde in Ysaia: *Celum et terram ego impleo.*⁴¹ Honor est ei reddendus quia dominus. Domini enim solent honorari. De quo honore dicit Salomon in Prouerbiis: *Honora Dominum Deum tuum ex tua substantia.*⁴²

[14] Ista sunt Deo reddenda, anime uero est honor reddendus et mansuetudo, unde Ecclesiasticus: *Fili in mansuetudine serua animam tuam et da illi honorem secundum meritum suum.*⁴³ Odium peccato est reddendum infinitis de causis. Vna causa est quia Dominus noster istud odit, unde sanguine suo illud operuit, ut legitur in Apocalypsi: *Ihesus dilexit nos et lauit nos in sanguine suo.*⁴⁴ Ab omnibus inquinamentis nostris alia ratio qualiter odio habendum quia inimicus noster diligit illud. Tanquam illud per quod nos ad infernum trahit, unde in libro Sapiencie: *Homo per iniquitates occidit animam suam.*⁴⁵ Et in Prouerbiis: *Iniquitates sue capiunt impium et funibus^s peccatorum suorum quisque constringitur.*⁴⁶ Alie sunt rationes infinite quas discretioni legentium relinquo.

[15] Contemptus mundo est reddendus multis^h de causis. Vilia enim contempnuntur et ea que mundi sunt uilia et lutum a sanctis appellantur, unde Abacuc: *Ve qui congregant,*⁴⁷ non

³⁸ Ps 56:4

³⁹ Cf. Ps 105:1; Ps 106:1; Ps 117:1; Ps 135:1

⁴⁰ Ioh 5:22

⁴¹ Ier 23:24

⁴² Prou 3:9

⁴³ Eccli 10:31

⁴⁴ Apoc 1:5

⁴⁵ Cf. Sap 16:14

⁴⁶ Prou 5:22

⁴⁷ Hab 2:9

sua usquoque agrauant contra se derisum lutum. Alia de causa est mundus contempnendus qui infinitis doloribus et anxietatibus nos premit. Vnde Gregorius: 'Contempnendus esset mundus eciam si prosperis animum demulceret set cum tot uarietates ingeminat, tot calamitatibus animum pulsat, quid aliud quam ne diligatur clamat?'⁴⁸ Patet igitur ratio quare contemptus mundo est reddendus. Inimicis dilectio est reddenda, unde Dominus in Matheo: *Si diligitis eos qui uos diligunt quam mercedem habebitis;*⁴⁹ *diligite inimicos uestros et benefacite hiis qui uos oderunt,*⁵⁰ et sic de aliis est negociandum. Rogate igitur Dominum ut possimus taliter uincere cum sanctis quod possimus uenire ad gaudia eorum in celis quod nobis et uobis prestare digne qui uiuit et regnat.

^a erudiunt] erudunt *ms*

^b con *expung.* in *ms*

^c prohibeat] prohibea *ms*

^d loquuntur] loquitur *ms*

^e sacietate] societate *ms*

^f odor *expung.* in *ms*

^g funibus] finibus *ms*

^h multis] *corr.* ex multas

⁴⁸ Gregorius, *Dialogi*, 3.38 (SChr 260, 430)

⁴⁹ Matt 5:46

⁵⁰ Matt 5:44